

Grynaeus, Sim.

Simonis Grynaei clarissimi quondam academiae Basiliensis theologi ac
philologi epistolae Accedit index auctorum ejusdem Grynaei opera et studio
editorum. Colleg. et ed. Guit. Theod. Streuber

Basiliae 1847

4 Epist. 85 m

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10352165-1

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Daten systemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

Epist.

85


m

Spish.

46

Gymnast. Sim.

85 m



<36622100820012

S

<36622100820012

Bayer. Staatsbibliothek

EWS, 4

SIMONIS GRYNÆI

CLARISSIMI QUONDAM ACADEMIAE BASILIENSIS

THEOLOGI AC PHILOLOGI

EPISTOLÆ.

**ACCEDIT INDEX AUCTORUM EIUDEM GRYNÆI OPERA ET STUDIO
EDITORUM.**

COLLEGIT ET EDIDIT

GUIL. THEOD. STREUBER,


BASILIENSIS.

BASILÆ,

IMPENSIS J. G. NEUKIRCH.

MDCCCXLVII.

275.



VIRO CLARISSIMO
GUIL. MART. LEB. DE WETTIO,

THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI

AD MEMORIAM PROFESSIONIS THEOLOGIAE

ANTE HOS XXV ANNOS

IN ACADEMIA BASILIENSI FELICITER SUSCEPTÆ CELEBRANDAM

D. D. D.

AUCTOR.

G. M. L. DE WETTIO G. TH. STREUBER

S. P. D.

Virorum clarorum epistolas semper magni aestimatas atque imprimis ad eorum vitas ingeniaque enucleanda aptissimas habitas esse, inter omnes constat. Iam igitur veteres, quorum opera adhuc miramur, talia iudicia fecere, nihilque verius est, quam quod de summo epistolarum scriptore, Cicerone, Cornelius ille Nepos scripsit: *volumina epistolarum eius qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum.* Eadem de causa magnis illis viris, qui sæculo XVI religionem Christianam ab intolerandis ecclesiæ Romanæ præceptis inventionibusque mere humanis ad pristinum sinceritatis statum revocare conati sunt, bonum utileque visum est, epistolas primorum ecclesiæ colligere atque posteritati tradere. Ita Lutheri, Erasmi, Zwinglii, Oecolampadii, aliorum epistolæ quasi e naufragio collectæ et ab interitu servatae sunt. Exinde cum hoc nostro sæculo acrius theologiæ studium coli inciperet adque fontes redire recte omnibus prima lex videretur, volumina epistolarum eorum virorum, quos modo appellavi, denuo evoluta et ex illis rectius quam antea factum erat, historia eius temporis contexta est. Qua quidem in re TIBI, De Wetti clarissime, maxima laus debetur, quippe qui primus Lutheri epistolas recollegeris novumque earum corpus edideris.

Tam nobili igitur exemplo incitati permulti consimili labore laudem quaesierunt, quos longum est enumerare. Ut taceam de *Bretschneideri* corpore reformatorum, opere quamvis diffuso tamen utilissimo, ea tantum nunc verbo

memorare iuvat, quæ nuperrime in Anglia a nobilissima tuendæ fidei evangelicæ societate instituta sunt ¹⁾. Mihi quoque Simonis Grynæi, viri eruditissimi summaque admiratione digni, vitam lingua vernacula scripturo nihil antiquius fuit, quam ut ea undique conquirerem, quæ in hominis oblivione pæne obruti clarissima facinora lucem quandam afferre viderentur. Res difficilior quam quis crediderit. Nam quum nihil usquam certi fideque digni de hoc viro scriptum exstaret, fundamenta ipsa iacienda erant, quibus superstrueres. Sed non frustra tabularia Basiliensia, Argentinensia, Bernensia, Genevensia, Turicensia perlustravi, in quibus magnum numerum epistolarum et ad Grynæum et a Grynæo scriptarum, partim editarum, partim non editarum, detexi. Neque me fugerunt, quæ iam olim in Oecolampadii et Zwinglii epistolis, in Calvini epistolis et responsis, in Grynæi commentariis ad Aristotelis topica Isaaci Kellerei et Ioannis Oporini studio vulgatis, denique in Zwinglii epistolis a Melch. Schulero et Io. Schulthessio editis, typis excusæ exstabant. Quæ si omnia uno volumine comprehendere voluissem, certe huius libri modum excessissent. Quare quum occasione lætissima instante, Grynæi epistolas edere statuissem, præstantiores tantum delegi atque illas imprimis chartis mandavi, quæ typis quidem excusæ, sed hinc inde dispersæ erant; quibus paucae accedunt, ex libris manuscriptis bibliothecæ Basiliensis et Bernensis a me descriptæ. Eæ vero epistolæ sunt præcipui vitæ Grynæi fontes neque iis facile carere poterunt, quibus clarissimus vir cordi est. Quæ eadem illis non ingrata fore spero, qui studia litterasque virorum sæculi XVI. curant; in quorum gratiam indicem quoque auctorum Grynæi opera et studio editorum subiunxi. Singulis epistolis argumenta brevia præfixi, ut lector qua de re agitur uno obtutu facile cognoscere

¹⁾ The Zurich letters comprising the correspondence of several English Bishops and others, with some of the Helvetian Reformers during the early part of the reign of Queen Elizabeth. Translated from authenticated copies of the autographs preserved in the archives of Zurich and edited for the *Parker Society* by the Rev. *Hastings Robinson*. Cambrigde MDCCCXLII.

Original letters relative to the english Reformation written during the reigns of King Henri VIII, King Eduard VI and Queen Mary chiefly from the archives of Zurich and edited for the *Parker Society* by the Rev. *Hastings Robinson*. Cambrigde MDCCCXLVI.

posset; scripturam vero antiquorum librorum religiose servavi, adeo ut, nisi mendæ et errores aperti essent, ab illa non discederem.

Cur vero **TIBI**, vir plurimum venerande, hanc editionem dicaverim, vix est, quod multis moneam. **TUIS** enim scholis olim institutus et ad omnem humanitatem conformatus sum; neque, etiamsi alia nunc sequor studia, quam ea, quorum **TU** es dux primarius, unquam tamen animus gratissimus a **TE** optimarum artium fructus me repetere debere obliviscetur. Iam viginti quinque anni circumacti sunt, ex quo **TU** antiquæ nostræ litterarum sedi docendo novam lucem attulisti; res lætissima, quæ merito hisce diebus a nobis celebrata est. Ne in posterum **TIBI** desint vires litteras augendi, ecclesiæ ministros dignos educandi, auctoritatem academici nostræ tuendi, pie precor, atque exopto. Vivas, valeas et patriæ verum decus et litteris egregium perpetuumque ornamentum.

Basilie Idibus Iuniis MDCCCXLVII.



INDEX EPISTOLARUM.

A. EPISTOLÆ AD VIROS DOCTOS PROMISCUE DATÆ.

I. Erasmus Grynæo	Pag. 2	XI. Grynæus Sig. Gelenio	Pag. 44
II. Erasmo Grynæus	2	XII. Io. Sturmio Grynæo	45
III. Erasmus Grynæo	3	XIII. Georg. Corenbechius Grynæo	46
IV. Erasmus Grynæo	4	XIV. Iod. Angeliaphorus Grynæo	47
V. Grynæus Budæo	5	XV. Iac. Milichius Grynæo	48
VI. Grynæus Budæo	6	XVI. Vitus Vuinsemius Grynæo	49
VII. Vives Grynæo	10	XVII. Grynæus Sixto Dietricho	20
VIII. Vives Grynæo	11	XVIII. Io. Claimundus Grynæo	21
IX. Grynæus Nic. Beraldo	12	XIX. Sim. Grynæus Thomæ Grynæo	22
X. Sinapius Grynæo	12		

B. EPISTOLÆ AD THEOLOGOS MAXIME SCRIPTÆ.

XX. Melanchthon Grynæo	Pag. 28	XXXII. Grynæus Mart. Frechto	Pag. 45
XXI. Ioach. Camerarius Grynæo	28	XXXIII. Grynæus Zwinglio	47
XXII. Ioach. Camerarius Grynæo	30	XXXIV. Grynæus Zwinglio	48
XXIII. Grynæus Ambr. Blaurero	32	XXXV. Grynæus Zwinglio	49
XXIV. Grynæus Casp. Currero	32	XXXVI. Myconius Grynæo	50
XXV. Grynæus Oecolampadio	33	XXXVII. Grynæus Calvino et Farello	50
XXVI. Oecolampadius Grynæo	34	XXXVIII. Calvinus Grynæo	51
XXVII. Oecolampadius Grynæo	35	XXXIX. Grynæus Calvino	53
XXVIII. Grynæus Oecolampadio	36	XL. Grynæus Calvino	54
XXIX. Oecolampadius Grynæo	38	XLI. Grynæus Calvino	54
XXX. Oecolampadius Grynæo	40	XLII. Grynæus Calvino	56
XXXI. Grynæus Capitoni. (De obitu Oecolampadii)	44		

C. INDEX AUCTORUM GRYNÆI OPERA ET STUDIO EDITORUM.

SIMONIS GRYNÆI EPISTOLÆ.

Simon Grynæus, tenui loco ortus (a. 1493), sed felicissimo ingenio præditus, pro ea ætate a satis bonis magistris ad humanitatem informatus est. Variis deinde casibus Vindobonam Austriæ, Budam Pannoniæ atque Vitebergam delatus, clarissimorum virorum doctrina et usu institutus, ipse alios erudire cœpit. Omnes autem, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione eum atque amicitia dignum existimarunt. Itaque cum se Veringam Suevorum, oppidulum natale, recepisset, tanta iam eius fama erat, ut rector et senatus clarissimæ universitatis Heidelbergensis eum ad docendas litteras Græcas, paucis tum temporis penitus cognitâs, arcesserent (1524). Ab eo inde tempore Grynæus omne ætatis suæ tempus ad optimarum artium studia ac disciplinas impendit et mox ad summam litterarum gloriam evectus est. Neque vero præ litteris ecclesiam Christianam, tantis tum procellis agitatam, neglexit, verum etiam impigerrimum evangelii reformati propugnatorem se præstitit. Simul adeo excelluit vitæ integritate, animi candore, sinceritate, pietate, modestia, ut his virtutibus pæne maiorem laudem sibi pareret, quam doctrinæ ubertate.

Quæ cum ita essent, fieri non potuit, quin cum celeberrimis et eruditissimis sæculi hominibus amicitias contraheret. Et hoc quidem factum est iam antea quam ad nos huc Basilie veniret (1529). Cuius rei luculentissima documenta sunt epistolæ et ab ipso et ad eum scriptæ, in quibus præclaræ dotes ingenii eius, mores humanissimi atque uberrimi doctrinæ fontes splendidissime elucent. Apparent in illo suavissimo commercio epistolarum doctissimi sæculi XVI viri. Quis enim clarior triumviris Erasmo Roterodamo, Budæo, Vive? Ad quos accedunt alii non multo inferiores, ut Joannes Sturmius, Nic. Beraldus, Joannes Sinapius, Sigismundus Gelenius; accedunt discipuli et commilitones Georgius Corenbechius, Jodocus Angeliaphorus, Vitus Winsenius, accedunt fautores et parentes Joannes Claimondus et Thomas Grynæus. Sed nulla re magis ad diligendum virum, theologis nostris vix nomine cognitum, compellimur, quam lectis epistolis, quas cum Philippo Melanchthone, Joachimo Camerario, Oecolampadio, Myconio,

Zwinglio , Calvino , Bucero , Blaurero , auctoribus limpidioris doctrinæ evangelicæ , commutavit. In tanta hominum et rerum varietate epistolas sic digessi , ut prius illas recenserem , quæ viris studia humanitatis colentibus promiscue inscriptæ sunt , deinde secundo loco ponerem , quas ad theologos reformanda ecclesia occupatos dedit. Nunc ad institutum pergo.

A. EPISTOLÆ AD VIROS DOCTOS PROMISCVE DATÆ.

I. *Erasmus Roterodamus Simoni Grynæo*

S. P. D.

Grynæus admiratione Erasmi captus quotidiana consuetudine cum summo viro congregari cupiverat. Erasmus illum sibi gratum fore respondet. Iungitur hoc modo amicitiae vinculum inter duumviros arctissimum. Scripta videtur epistola , antequam Erasmus Basilia abiret (1529).

Hoc mihi pluris es , Grynæe charissime , quod varias istas ingenii tui dotes singulari etiam modestia commendas. Nam hoc hominum genere semper peculiari quadam ac fatali , ut ita loquar , animi propensione sum unice delectatus. At vereor , ne si nos propius inspicias , magnam existimationis apud te meæ iacturam faciam. Attamen hoc damnum arbitrabor abunde pensatum , si liceat Grynæi conspectu colloquioque frui cominus. Itaque simul atque tuo bono id facere dabitur , venias mihi tum gratus , tum etiam iucundus hospes. Illud interim tibi persuade , si qua in re potero vel ornando nomini tuo , vel iuvandis commodis aliquid utilis operæ commodare , experieris mihi omnia potius defuisse , quam promptam animi voluntatem. Hoc tantum licuit in præsentia. Certavi tecum *κακογραφία* , et ni fallor vici. Bene vale , vir animo meo charissime. Datum Basileæ , natali Stephani protomartyris.

II. *Erasmio Roterodamo Simon Grynæus*

S. P. D.

Adolescentulus quidam tenuissimus , cui nomen Claudio , Parisiis Basiliam venerat , de quo Grynæus hac epistola Erasmo , qui eius curam susceperat , refert. Ad extremum addit quædam ad grammaticam græcam litterasque spectantia.

Gaudeo , negotiorum abs te mihi multum dari , gaudeo moneri , gaudeo argui , gaudeo tuus esse , præstantissime vir Erasme : tenuitatem modo nostram et incitiam ferre velis. Primum de Claudio percontaturi te fuëramus ultro , et in hoc Hieronymus (Frobenius) et ego pridie convenëramus , ut ne quid secus , quam velles tu , ab imprudentibus nobis committeretur. Dicam igitur quod mihi videatur. Nisi fallor enim , difficile serviet puer , quod ingenio fretus , persuasionem de se induerit non mediocrem. Itaque dubius est animi. Præclarum iam olim futurum videt , apud te quocunque pacto hæsisse : verum interea sollicitus est , ne vel nimis obstringat

sese, vel si serviat tibi, gratiam istam fortasse retinere non possit. Summa, dives esse iam satis sibi videtur, et hoc solum reputat, postquam tu non vulgariter aspirasti. Itaque gestit illi animus isto velut secundissimo vento, quam primum et quam maxime studia maturare. Ego quam in partem iuvenem impellam, dubito ipse quoque. Nam tuum de famulatio sententiam nondum satis habeo perspectam, multo minus ingenium huius. Ad hæc minime committendum puto, ut intimiori servitio quisquam abs te destinetur, non multis et magnis nominibus motus. Nam eo certe consilio primus hunc ad te misi, si fortasse amanuensis operam apud te obiret. Quantum nunc intelligo, libenter ista hyeme apud nos versaretur; itaque vide quid facere nos velis. Si dimitti vis, hoc pacto potest, si dicam, idcirco tuis impensis sustineri, quo te, dum voces, expectet. Nam omnino refugere eam mihi conditionem puer videtur. Si manere vis, potero vel ipse, citra conditionem abs te oblatam, retinere, dum vel statuas, vel ingenium pueri melius pernoscamus. De scazontibus nostris, scias nihil affectasse nos, sed omnem licentiam libenter amplexos abusosque, dum festinationi typographorum facimus satis. Τοῦ πολλῶν καλλίων exemplum est apud Isæum, seu πολὺ μᾶλλον ἐτοιμότερον multo promptius reddit Budæus. Minus mihi notum est χρυσῶν ῥ' ἐθέρα; dicerem enim χρυσοῦ ῥ' ἐθέρα ἢ χρυσεία ῥ' ἐθέρα. De Chrysostomo quod desideras, partim naturæ, partim festinationi debemus. In periodos natura incido, quod proxima amplector, festinatio facit, utrumque pro virili emendabo. Mitto tibi interea proverbiorum δέκαδα, aut sesquidecada, quæ haud scio, an inter tua reperiantur.

III. Erasmus Roterodamus Simoni Grynaeo

S. P. D.

Respondet Erasmus epistolæ antecedenti; agitur igitur de eodem Claudio. Postremo adduntur quædam de scriptis Aristoteleis ab Aretino et Budæo in Latinum versis.

S. Ut paucis ad tuas literas, idque præpostere respondeam, quod meus esse gaudeas, scias velim, hoc tibi mecum esse mutuum. Hoc ius in Gratiarum tabulis scriptum est: nondum tamen eo processu improbitatis, ut Grynæum ausim arguere, monere vix sustineam. Absit autem, ut amicum sanctissimis occupatum laboribus, multis onerem negotiis. De Claudio scripseram, ni fallor, ut si qua in re vobis possit esse usui, puta in prælegendo discipulis tuis, aut recognoscendis paginis, maneret istic menses treis ¹⁾. Simile quiddam scripseram Hieronymo Frobenio. Sin minus, dares de meo duos adhuc florenos, sineresque, quo vellet, abire: nec video, cur ad illum ablegandum fuco sit opus. Hic ingenue fassus est, ocium ad literas quærere. Ad id quum meum consilium requireret, suasi, ut haberet crumenam differtam bonis aureis, sibique pararet iustam bibliothecam, dein iret Lovanium, ant Norembergam, ant sicubi profitentur

¹⁾ Scripta videtur epistola Friburgi Brisgoæ, quo se Erasmus, reformata ecclesia Basiliensi, contulerat.

doctiores, totoque pectore vacaret Musis. Arrisit. Optarim illi divitem Mecænatem, qui illi suo sumptu ocium suppetit. Quod ad famulatum attinet, suasi, illum nil nisi viaticum quærere. Nec aliud me movit, quam Christiana misericordia. Hic erat pestilentia, ut videbam adolescentem in regione peregrina, ignarum linguæ, nemini notum, nudum, non habentem teruncium, idque hyeme. Quid facerem? Videtur delicate habitus ab his apud quos vixit, et si maxime cuperet mihi famulari, consultarem an esset recipiendus: unicam duntaxat linguam novit imbecillo corpore. Venit huc Lutetia, ne verbo quidem a quoquam commendatus. Nunc cum videatur parum animatus ad famulatum, de eo non est cogitandum. Superest, ut aut abeat, si vobis gravis est: aut maneat, si id vobis incommodum non est. Quod si charitas Evangelica vos commovet, ut destitutum alatis, donec alicunde fortuna melior affulgeat, equidem laudabo pietatem, at non patiar te de hoc nomen in tuum diarium referre; τὸ φιλαυτὸν et ipse sensi, sed tum cum dimitterem. Habes de Claudio, quem si dimittis, comiter dimittendum censeo. Mihi nescio unde hausta insederat opinio, ὅτι χρυσῶν dici Græce: sed exemplum invenire non potui. Χρυσῶν ῥ' ἐΐθερα excusari poterat, verum aurearum flumen; sed malo χρυσοῦ ῥ' ἐΐθερα: quod ut certum est, ita non eget patrocinio.

Areteus duos libros vertit Oeconomicorum: quorum alter tamen non sapit Aristotelem, Græcus priorem tantum habet: qui sequitur secundus, longe diversum habet argumentum. Rursum de mundo vertit Budæus: non est Aristotelis, nec rhetorica ad Alexandrum. Hæc admonere visum est, si forte lectorem voles admonere tua præfatione. Des veniam oportet, non vacavit hoc recognoscere, maximis laboribus obruto. Vale vir eximie mihi que charissime.

Erasmus Rot. tuus.

IV. Erasmus Roterodamus Simoni Grynaeo

S. P. D.

Erasmus Grynaeo commendat iuvenem Friburgo Basiliam abeuntem. Hæc quatuor epistolæ Grynæi et Erasmi huc usque repetitæ in collectione epistolarum Erasmiarum, quod sciam, non reperiuntur.

S. P. Hunc Anselmum Ephorinum istuc pellexit tuæ doctrinæ tuæque probitatis admiratio: quo quidem nomine tibi merito debebam esse iniquior, si figulus essem, qui dimidium animæ meæ a me divulseris. Perieram enim, nisi in his migrandi ædificandique molestiis curisque a quibus per omnem vitam arcano quodam naturæ sensu semper abhorruï, sublevasset animum meum. Blanditus est mihi spe reditus, sed scio illum nunquam huc rediturum. Simul atque tui gustum cæpit, ilico dicet, ἄλλος ὄρεός. Bebelius hic fuit. Cupio te cum tuis quam optime valere.

V. *Simon Grynaeus D. Guilielmo Budaeo*
S. D.

Grynaeus, ingenti litterarum amore incitatus et in maximam Budæi eiusque operis de asse admirationem abreptus, e viro Galliæ doctissimo quærit, quam ille post felicem linguarum successum viam sapientiæ veterum consequendæ putet? Addit quædam de Basiliensium rebus litterariis et commendat iuvenem epistolam perlaturum.

Facit admiranda virtus tua, Budæe, et præclara nominis tui fama, ut nemo sit, qui literas attigerit modo, quem admiratio et stupor ingenium tuum contemplantem, non vincat, et in amorem tui corripiat totum. Itaque nulla mihi veniæ deprecatione arbitror esse opus, dum rem non insuetam tibi committo, homo scilicet ignotus ad te scribens. Imputare, si quid hæc molestiæ est, gratiæ et splendori nominis tui debes, quod omnes undique studiosi sese insinuant tibi. Quanquam ego profecto non tam notus esse tibi, quam rem interim apud te meam facere contendo. Nam quod unum in literis scitu maxime dignum esse iudico, quodque nec mutis, quos ego quidem habeo, nec ex vivis apud nos præceptoribus investigando consequi possum, ex te velut oraculo sciscitari non lubet solum, sed res ipsa propemodum cogit. Id quid sit, priusquam ostendo, dicam prius, unde mihi venerit in mentem, ut abs te potissimum hoc flagitarem. Legi, relegi commentaria tua omnia, præsertim vero quæ de asse et eius partibus incredibili conatu scribis, diligenter animadverti eo te in literis proposito versatum, ut nullam tibi difficultatem obstare sis passus: et cum istuc in animum induxisses, rebus necessariis omnibus paratis, disciplinisque quas vulgo linguarum studiosi, velut parum aptas instituto suo prætervehuntur, coniunctis animi tui velut torrente, per obstantia omnia delatum, perpetuo cursu, perpetuis victoriis, per universum litterarum imperium difficultates hactenus omnes demolitum, ut mihi verisimile sit, ad interiorum usque philosophiam explorandam, hoc fœlicissimo cursu te incitatum, εἰς τὰ τῆς ἀποδείξεως ἄδυστα dico. Nec dubito, quin quum per istos Græciæ campos oculis in omnia intentis, cursum teneres, magni Aristotelis reconditis opibus incredibiliter fueris sollicitatus, præsertim postquam tu Hercules ille difficultatum omnium domitor ut esses, ipsa tibi natura imposuisset: itaque pro sagacitate ingenii et ista divina mentis vi, aditus omnes, omne præsidii et machinarum genus advocasse te credo, qui ad intactas illas opes penetrares aliquando. Hæc cum te conatum esse mihi persuadeam certo, et spem ingentem foveam, eius rei fructum aliquem priusquam hinc solvas, per te ad nos venturum, nosse istuc, istuc interim ex te præ rebus omnibus sciscitari lubet, post fœlicem linguarum successum, quam tu maxime viam sapientiæ illius veterum consequendæ putes? etsi eam statuas, quæ una et eadem optima semper fuit, methodi scilicet naturam: hoc est rationis humanæ vim tenuisse, quo tu maxime pacto, hoc nobis iter ingrediendum capessendumque esse velis? Quod si denique non alios compereris aditus, quam quos vir ille mirandus præscripsit, istuc iam te per pietatem, per fœlicem genium illum tuum rogo

ut quatenus progredi seculi nostri homines posse credas, quatenus item tu sis in ea re progressus, qua tibi parte negotii plurimum exhibuerit iter, quas ambages, quæ diverticula notaris, ostendas. Obsecro vero, ne me suspicere, vel studiorum tuorum secreta vestigare velle, aut aliam esse istuc abs te flagitandi causam, quam ingentem literarum amorem: quanquam in istis occupationibus tuis non flagito, qui respondeas multis. Si verbo uno ant altero, cum opportunum studiis erit, respondere non lubet, uno saltem huic iuveni sententiam tuam explicato. Nam nisi eius negotii penes te spes est aliqua, non video, quis hic tibi quicquam permittat. *Περὶ ἀποδείξεως* conatus sum intelligere Aristotelem, sæpe quanquam aggressus, eadem repellor. Galeni de ea re libri non extant, suppressos credo. Qui enim tantus thesaurus perire potuisset, superstitionibus cæteris omnibus? Græca tua commentaria excusimus nuper. Dabimus nunc Aristotelis opera omnia, intra angustum volumen unum, quod te per literas rogo, si quid est, quod ad eam rem utiliter afferri possit, per hunc iuvenem admonere nos velis. Veniet in manus studiosorum, quod hactenus non fuit. Nam quotusquisque parare sibi potuit opus, nunc minimis impensis poterunt omnes. Mitto tibi chartam pervetustam, in qua assis partes, multiplicatas in se et characteribus suis descriptas vides: ostendere tibi proter vetustatem volebam. O utinam sit, quo declarare amorem erga te meum possim, cernas animum te flagrantem. Verum hæc nunc satis. Solum hoc obtestor te, ut efficias humanitate, ne tibi fuerim molestus. Qui iuvenis istas ad te perfert literas, honesta usus est hactenus apud nos conditione: nunc vero, cum facultas data esset Galliam adeundi, et videndi te, conditione relicta, facere istuc studiosus adolescens malebat, quam loco etiam aliquo inter suos esse. Ego quanquam nefas esse puto, tantum mihi apud te sumere, ut alium commendem, qui ne me ipsum quidem ausim, tamen commendatum tibi volo: nullum enim honestum officium alienum abs te esse novi. Vale clarissime vir et vive diu literis et patriæ verum decus et ornamentum. Basileæ XIII Cal. Jul. Anno M. D. XXX.

VI. Principi in literis viro vereque nobili D. Guliero Budæo patrono suo.

Cohaeret hæc epistola (scripta postquam Grynæus ex itinere in Angliam suscepto reversus est) cum antecedenti ita, ut appareat, Budæum responsione data Grynæo non satis fecisse. Aperit igitur Grynæus animi sui statum: se immensa studiorum silva deterritum sibi proposuisse valedicere studiis et sapientiæ humanæ et ad philosophiam Christi tota mente reverti. De quo consilio Budæum rogat, ut sibi, quid ipse statuatur, aperiat. Exstat epistola inter Mss. apographa bibliothecæ publicæ Basiliensis.

S. Utinam vero, præclarissime vir Budæe, craterem mellifluum illum tuum pro sapientiæ phiala, quam nondum arbitror committendam nobis putas, abs te porrectum, quem ego manibus ambabus (quod dici solet) accipio libenter ac tota mente benignitatem amicitiae tuæ complector, iam

persuaderi tibi facile potuisset, nullo sinistro proposito, sed ingenuo tantum ac simplici literarum amore eodem propemodum quo tu respondere coactus es (quis enim quam liberalis animus et virtus tua te coegit) me quoque admiratorem iam olim, nunc etiam salutatorem tuum, non quod tu nimis tenuiter de te sentiens putas, ignorantiam, si diis placet, exprimere tibi in omni genere exercitatissimo viro, sed quod unum omnium maxime cupiebam, ex uno te, cui istuc animi omnium maxime compertum esse sperabam, sciscitari coactum: non dubito quin tu pro verisimilibus vera nobis, quod æque facile factu tibi fuit, candidissimus vir respondisses. Feci autem, ni fallor, nec iniquam rem, nec novam, Budæe, si dum studiorum sylvam (nam quo alio nomine rem vocem, quæ sic mihi visa est semper) immensam illam ingressus, quantum ingenio valerem, annis multis absque vero fructu frustra connixus essem, velut ab obsidione diuturna animum despondens, ad te tuumque oraculum sciscitatum misi, fato ne quodam temporis huius communi, aut rei nunquam superandæ difficultate aut imperitia denique gerendi negotii, studia literarum oppugnans oppugnarer. Aut non ego consilium, quod levioribus fere de rebus et crebro capitur, de re caperem tanta? Jam unde caperem, quam principibus a viris, aut qua de re potius, quam summa necessariaque? Quod si me saxum hoc movere conantem non repulisset toties ipsa difficultas nemini præterea negotium facessere, nedum tibi, viro tanto, necesse fuit. Nunc vero quanquam istuc intelligo quidem quod veteres isti, quotiescunque scribere de re aliqua aut cogitationem instituere volunt, locum in eo argumenti genere editissimum aliquem et unde conspici longe lateque fines universi rei illius possint, occupant: hinc cogitatione et acie mentis circumacta quo quæque via ducat, liquide perpendunt, ac mentem incertis opinionibus temere in rebus omnibus vagantem ad quædam naturæ fundamenta et velut intelligentis lumina revocatam sistunt. Quod quidem videre non omnino difficile est. Tamen cum hæc persequi et ex singularum rerum disputatione me ad illud caput et fastigium ipse quoque recipere et ad illa ipsa naturæ lumina propositam quæstionem revocare volo et fontem universo negotio invenire, protinus in ipso conatu destituor miser et inter arbusta hæreo viis et isto colle, unde late subiectam rem despicere videbar, toto ex oculis evanescente. Quin ad illa ipsa præcepta quæ non pauca hisce de rebus tradita sunt, ubi me converto, tantam difficultatem repperi, ut haud sciam, qui de eis plurimum scripserunt explicare rem an implicare sint conati. Cum autem in ista immensitate scriptorum, et ingenium et ætatem conteri necesse sit, poëtarum et oratorum præsertim, quorum omnis ex opinione hominum oratio est comparata: nulli aut vel iucundius invitent, vel in precio sint maiori, philosophorum autem scripta quanquam et ordinem et rationem quandam certam magis habent, non percipiuntur tamen, nisi quo iudicio scripta sunt, eodem cognoscantur: periculum esse video, nisi consilium ante ingressum sylvæ eius capiamus, ut non solum nihil reportemus, sed illam animi simplicitatem, quæ sola nos ad honestum reducit, velut depravatis multigenis saporibus linguæ gustum

innumerabilium scriptorum infinito iudicio penitus amittamus. Hæc cum cogitavi scribere ad te tuique similes præclaros viros, non quo modo mortalium plerique familiaritate tui gloriam aucupaturus, sed certam calamitatetem relevaturus in animum induxi. Nunc quod haud scio elegantius an verius de hoc studiorum genere Plato dixit: ὅπως δὴ ποτε ξυντείνω ἐμαυτὸν αἰεὶ περιέρχεται ὃ ἂν τιθέμενος ὧ καὶ πρὸς τὴν Δαιδάλου σοφίαν τὰ τοῦ Ταντάλου χρήματα ἔχω, interque manus diffluit, quod comprehensum videbatur, ut nihil prorsus esse κατάληψιν Pyrrhonorum more fateri propemodum habeam necesse. Hinc illæ mihi tam graves ad te obtestationes nascuntur. Nam de expectatione quod putas longe secus habet. Latere in vita unum omnium maxime lubet et animum, qui non solum in humanis rebus, sed in omni plane natura divinissimus est, erroribus liberare ac ad naturæ constantiam et simplicitatem revocare, hoc verum esse studium solum videtur, præsertim postquam æterni verbi Dei lux novo christiani orbis solatio restituta præclare nobis ad eam rem opitulatur. Verum enimvero quod poëta dixit: φήξας ἀνὴρ, φῶτα, ἀρετὴ ὡρμάοτε πρὸς κλέος, et quod Socrates optare solebat, ut sibi daretur, ad quem sic animum ipse suum exploraret, quemadmodum aurum ad Lydium solet, id superesse consilii malis istis solum videtur. Quæro ad quem animum fluctuantem et incerta studia explorem, quem si nusquam invenire licet, non licet autem nisi in te inveni, valedicere studiis et sapientiæ humanæ, et ad philosophiam Christi mox tota mente reverti propositum est. Nam in istas literas idcirco peregrinandum esse tantisper duxi, quo melius domestica religionis studia cognosceremus æstimaremusque. Sane nondum persuadere mihi possum repulsam passum esse me defixamque in te spem maximam animus adhuc habet. Vivem præterea Ludovicum doctissimum quidem virum, nuper ex Anglia rediens, inveni, qui mihi spem faceret quandam, scriptis de hac re quibusdam ab se libris, qui iam tum excudebantur. Nam cæteros ætatis nostræ plerosque homines (omnium vero pace dicam) cum alterutrum viderem vel linguas negligere vel cum eas excoluissent, artes istas aspernari ac in illis præter eloquentiæ speciem quandam sane non vehementer admirandam, in his præter sterilem et exanguem noticiam reperire non multum, nondum polliceri mihi quicquam solidioris philosophiæ quivi. Nam utrumque tute intelligis quam parum ad istam absolutionem veterum habent momenti. In quorum animis ipsa mihi natura velut lucidissima in speculo reluxisse videtur. Nam quod genus disciplinæ non ita ab ipsis compositum finibusque suis circumscriptum ac in corpus ita redactum est, ut membris omnibus cohærens, non eundem cum natura obtineat consensum. Qua quidem in re quum velut arce philosophiæ oppugnanda occupata mortalium ingenia sint (huc enim tacito voto sponte sua et assidue animus noster contendit) ac quemadmodum in exercitu magno fit, in commune optimus quisque vir quantum ingenio valet, conferat opem suam, mihi studia et ingenium tuum etiam iam olim contemplanti inter primos mortalium omnium visus es post illa felicia sæcula, cum sub potestate hominum philosophia esset, non solum vallum arcis eius linguarum aditu vel invitis omnibus egregie per te patefacto, superasse,

sed admotis disciplinarum scalis ad interiora philosophiæ penetrasse, quum non incertus esses, quo loco et qua ratione regina ipsa literarum comprehendere posset, mox negociis non maioribus quidem illis, sed tamen incumbentibus magis revocatum, ita ab oppugnatione destitisse, ut eius instaurandæ consilium non abieceris plane, sed reffectis copiis et occasione data, maiori conatu victoriam sis molitus. Feras, obsecro, tantisper me, dum illam de te persuasionem tibi confirmo. Quis enim si te ista non dico φιλοπονία, sed φιλοπόνῳ ἀρετῇ, ista non dico φιλοδοξία, sed καλοκαγαθία καὶ ὁρθῇ πρὸς ἀρετὴν δόξῃ præditum, ac rebus omnibus ad summos authores omnes intelligendos necessariis instructum, velut e locupletissimis castris adversus ipsius philosophiæ sedes fulgentis nominis et partæ maximo merito tuo famæ gloria tendentem spectet, aliud concipere animo de te excelsi maxime ingenii viro, quam excelsum maxime propositum ac victoriam plenam posset? Cuius species generosum quenque animum maxime semper inflammavit. An tu mihi scutum et vallum linguarum intra quod illa abdedit, nullo longius per virtutis viam grassandi proposito, fortissimus heros, callidissimus in hoc præliandi genere imperator perruperis? An tu eadem mentis acie eodemque irruptione facta, proxima mœnia machinis disciplinarum, quas novas et mirificas de utraque quantitate et syderum præterea motu unus de asse liber multus luculenter ostendit, capta superaris? ut interim ex arce media spolia de contemptu rerum erepta prætereamus. Quod si tibi aliorum consilia aut signa secuto temere successus isti sese obtulissent, recipi, quod ignotam τὴν ἐγκυκλοπαιδείαν tibi dicis, posset forsitan. At vero cum nemo sagacitate maiori in literis, nemo longius prospiciat sibi, diligentius sæpiusve respiciat nemo: quarum virtutum exempla innumerabilia ædita scripta tua habent: nec usquam te moveas, nisi re ad unguem confecta: alterutrum necesse est, aut difficultate rei incredibili, cum etiam atque etiam perpendisses, senecta præpediente superatum, quod haud credo, spem abiecisse: aut quum spes hæreret certa, consilium rei pulcherrimæ, gregario militi mihi, circumspectum te virum committere, et utilitatem rei publicæ literariæ maximam, in unius privati hominis gratiam prodere noluisse. Nam intentatam tibi fuisse victoriam aut istos hactenus in literis successus nullo altiore proposito temere obvenisse prorsus est incredibile. Ac haud scio magisne tibi laudi, quam vitio mihi verti possit, quod ista perquirenti non committis, primo præsertim congressu, nisi forsitan quod tu quoque iudicasti, honestus erga literas amor et illa maxima in te principum literarum et virtutum omnium fiducia ac nescio qua tacita erga te benevolentia me excusant. Quicquid est, ut libenter culpam istam recipio in me et importunus vel amicorum gratia, quos eodem gaudio epistola tua omnes mecum perfudit, interim audire fero, qui beneficium istuc abs te extorserim magis (sed honesti desiderio) quam impetrarim: ita si fas sit, optime vir Budæe, sacratius aerarium opum tuarum ostendi copiam et phialam philosophiæ te prælibante gustare. Quod votum si non succedit, ostrictum nihilo minus pro ista tibi in me beneficentia perpetuo fatebor. Nec ulla mihi res tam chara erit aut neccessaria in literis, quam offensa tua graviore

partam velim. Tam gloriosum enim et honestum ego mihi duco inter amicos tuos numerari, quam quamlibet magno in literis nomine excelluisse. Scripsi maximis Iulii caloribus, animo vixdum ab Anglicana profectione ullam ad rem composito satis, doletque, quod tam incompertus limina tua hic denuo accedo, sed eadem omnia humanitate consules boni et me amabis deditissimum tibi. Obsecro vero, ut amicis tuis me commendes, inprimis autem *Danesio*, cuius nomen dum per Angliam et Brabantiam opperegrinabar cœpit esse prædicatione hominum mihi charum. Hic iuvenis studuit apud nos, quod animadvertere mox potes, diligenter. Si quid in eum beneficii conferretur, non erit, arbitror, locatum male. Nolo autem patri tibi patriæ tuæ in his præsertim rebus quenquam commendare. Quin vales et vivis egregium perpetuumque literis ornamentum.

Basileæ 13. Calen. August (1551).

Tuus a pedibus

SIMON GRYNÆUS.

VII. Vives Simoni Grynaeo suo S. P. D.

Joann. Ludov. Vives, natione Hispanus (nat. a. 1492 mort. 1540) primum Oxoniæ, deinde Brugis promovendis bonis litteris operam navavit. Grynaeo, cui post iter 1551 in Angliam factum accuratius innotuit, exponit, eruditione an natura constant disciplinæ et cognitio rerum pulcherrimarum.

Disputationem tuam legi libentissime, in qua docte et acute disseris, eruditione an natura constant disciplinæ et cognitio rerum pulcherrimarum. Et declamatoris more alteram tibi partem sumis, eamque difficiliorem, quam argumentis mollias, et probabilem efficias dicendo. Sed ea quæstio paucis verbis, mea utique sententia, posset dissolvi ac profligari. Ingenia enim nostra sunt velut terra, in qua insunt naturaliter omnium stirpium semina atque origines, a natura ipsa indita, alia aliis in locis. Producet quidem terra stirpes suapte sponte, sed si accedat agricolæ manus atque industria, erunt stirpes illi et pulchriores et utiliores, quod annotare est in tritico et vinetis. Eundem in modum ingenium, quod artis aut scientiæ cuiusquam nulla omnino accepit naturaliter semina, haud aliter nequicquam versaveris, subegeris, colueris, quam arenam. Quæ vero accepit, eruditione atque usu, tanquam a ratione, fossione, repastinatione, irrigatione fructus uberrimos fundet, eoque semper pulchriores, maiores, præstantiores, quo illa sive semina, sive informationes, sive ideæ ampliora atque excellentiora fuerint: neque ars aliunde est nata, quam ab observatione actionum naturalium adhibito iudicio, ut suum cuique precium rectissima æstimatione redderetur. Quum autem invalidior est natura, vel obscurior, aut in loca incidit ardua et intricata, habet artem pro duce ac lumine. Optima est igitur natura per se, sed melior multo arte adiuta atque expolita, ut aurum expurgatum. Inter sensum et mentem est conformitas quidem aliqua, eaque perexigua, di-

scrimen autem ingens; sensus enim non est capax disciplinæ, nec institutione, nec usu proficit: mens autem tum docetur, tum ab usu atque exercitatione melius operatur, quæ quidem exercitatio in locum disciplinæ cedit, ut Homero et excellentibus illis ingeniis pro magno magistro usus fuerit. Quid, quod etiam sensus ipse, velut oculus, quantumcunque a natura probe instructus et ornatus, adiumentis nonnunquam indiget, ut in magno intervallo, in obscuro, in obiecto minuto, procedente autem tempore in se ipso, quum cœpit vel morbo vel ætate flaccescere, quæ in sensu remedia dicuntur, in animo vero institutio, eruditio, ars. Hæc est institutionis atque exercitamentorum ratio et vis, ut quod possis aliquando per te facere, facias citius, melius, aptius. Nemo enim censet animos natura sua ab arte aliqua alienos, posse ad eam ipsam docendo pertrahi, non magis, quam si des operam ut in hac Germania balsamum aut cynamomum nascatur. Habes ad partem hanc. Ad reliqua tuarum literarum nec vacat in præsentia rescribere, nec libet. Vale plurimum, mi Grynæe. Bredæ X. Novem. M. D. XXXVIII.

VIII. Vives D. Simoni Grynæo suo S. P. D.

Cur Grynæo hactenus non responderit, quo modo se habeat, quid agat, exponit; typographos Basilienses præ Belgicis magnopere collaudat.

Epistolæ tuæ mihi multo, uti par est, iucundissimæ. Quod hactenus non responderim, mi Grynæe, sat scio te negligentia potius imputaturum, quam aversæ abs te aut rebus tuis voluntati meæ. Quæ profecto erga te summa est, ac prope singularis, quid insit erga id pectus, in quo ego habeo perspectissimum, habitare animum mei benevolentissimum? Sed nec desidia aliqua fuit causa silentii. Quid enim me est diligentius, quum valeo, et vacat? Cæterum adversa valetudo plurimum mihi temporis detrahit. Id vero quod relinquitur, avidissime rapio, ut in perficiendis expoliendisque meis laboribus collocem. Quos labores habeo profecto complures, rudes atque inchoatos: orsus, quum hoc morbi genus tam mihi obventurum suspicarer, quam alas et volatum. De pietate in tantis controversiis difficile per epistolam, vel paucis verbis disserere pro dignitate, differamus aliud in tempus, quum aliquid copiosius dici poterit, et efficacius. Tu quid agas, quibus te studiis occupes, atque oblectes, vehementer scire aveo. De his me velim facias certiore, quum mihi scribes. Ego vero semper aliquid molior: et animus, inquires, ut Livius dicebat, pascitur opere. Tempus mihi deest ad hæc tam multa, vires quoque ad durandum in opere.

Utinam hic aliquem haberemus ex vestris typographis: nostri enim omnes tenues sunt, et miseri, animis etiam tenuiores, quam re. Vellem, profuissem istis vestris, quantum his sordidis, cum quibus aliquid agere aut contrahere, odiosissimum est. Bebelium chalcographum salutabis mihi, et alios isthic, quibus scis me esse charum. Vale.

IX. Clarissimo viro D. Nicolao Beraldo suo.

Nic. Beraldus (Berauld), Aurelius, (nat. a. 1475, mort. 1550), vir iam ab Erasmo multum celebratus, laudatur a Grynæo propter doctrinam et pietatem. Exstat epistola inter Mss. bibliothecæ Bernensis (Cod. Nro. 141), ex quibus ipse eam descripsi.

S. Pietatem tuam, Beralde charissime, ac singulare erga religionem veram studium, cum sæpe iam mihi, tuus quidem iam olim discipulus, noster vero communis nunc amicus, Maurus Musæus, vir optimus, multis prædicavit, compulit ut vel ignotus ad te scriberem.¹⁾ Gaudeo enim exemplum in te rarum illud nostro sæculo, extare, ut cum longe doctissimus litterarum vir sis, idem pietatis studiosissimus habere et cuius nomen dudum apud externos etiam illustre fama est, idem apud eosdem fama nunc multo foeliciore, cœlestis philosophiæ nomine illucescat. Perge vero præclare magnanimeque vir ornamenta virtutesque has tuas pulcherrimas pietate vera, hoc est virtute summa cumulare, ac in istis densis tenebris et acerba ecclesiæ tocus dissensione, certam operam patriæ et Christo principi pro ingenii et doctrinæ tuæ magnitudine navare. Nihil conando efficere nihil conari maius meliusve ac præstabilius in omni vita potes, quam si lux aliqua veritatis per te illata patriæ tuæ dicatur. Vale ac inter amicos tuos me numera. Basileæ Idibus Iuliis anno MDXXXIII.²⁾

SIMON GRYNÆUS tuus.

X. Joannes Sinapius Simoni Grynæo S. P. D.

Joannes Sinapius, medicus Suevofurto oriundus et antea Grynæi successor in universitate Heidelbergensi, tum temporis Ferraræ degit in aula Principis. Transmittit Grynæo valetudinario hac epistola consilium medicum clarissimi Italiæ medici, Manardi, et commendat ei curam lucubrationum Manardi a Bebelio imprimendarum. Denique de se deque statu politico Italiæ quædam adiungit.

Ἐγχεύειν. Tardius forte quam exspectaras, tibi consulimus, eruditissime Simon, si tempus spectas: cito vero, si rem consideres et et negocia nostra, et nunciorum quibus tuto credi potest infrequentiam. Quod si sat cito fit, ut proverbio dicitur, quod sat bene fit, citissime profecto tibi morem esse gestum arbitrare. Nam optime (ni fallor) tibi prospectum erit, si consilio, quo per hunc doctorem Conradum Nyder Confluentinum ad te mitto, recte fueris usus. Scriptum enim est ab eo Medico, quo neminem hodie excellentiorem habet tota Italia,

¹⁾ Ad explicandam hanc Musæi et Grynæi coniunctionem iuvat apponere locum ex epistola eius data Basilea quinto idus Augusti 1534 ad eundem Nic. Beraldum (Cod. bibl. Bern. 141. N^o. 121): «Quum in ædibus meis ad cœnam vocatus vir doctissimus nec non linguarum peritissimus Simon Grynæus adesset cœpissetque agitari sermo de piis ac eruditis viris in familiari amicorum colloquio et confabulatione te (cui tot nominibus debeo) silentio præterire nullo modo esse mei officii duxi.»

²⁾ Fallitur Sinnerus in catalogo Mss. bibl. Bern. III. p. 198, qui epistolam a. 1533 scriptam esse dicit.

Manardo inquam nostro : qui tum suapte voluntate , qua totus in amorem tui , ob egregia scripta tua , præclaramque famam , propendet : tum literis ad me tuis et precibus meis impulsus , hanc operam tibi libentissimo animo et promptissimo dedit , nec sine labore , ut nunc eius ætas est. Putavi hoc ego multo satius esse , quam si quid temere tibi ego consarcinassem , in Care potius quam in te periculum facturus. Quamquam pro meo captu , iam tum statim Venetiis per Bebelium , acceptis alteris literis tuis , quæ in mentem mihi venerunt , ad te scripsi. Nunc vero solidam , perfectam et integram haud dubie curationem habebis : et nisi me meæ rationes fallant , ex sententia tua tibi satis fiet : quoniam et causas morborum ac symptomatum assignat , et secura remedia. Nec temere credas , aliter consulenti cuiquam apud vos medico : sed singula hæc verba immo syllabas pro oraculo habeto. Adeo enim Manardum non pudet huius ratiocinationis suæ , ut illius sicut epistolarum aliarum , quas Bebelio excudendas dedi , ferre censorem totum orbem possit. Quare tuum erit ea utilitate studiosos non frandare : sed ubi legeris , dare Bebelio , ut in reliquo opere excudatur. Quod quidem opus quam emendatissime et pulcherrime prodire cupimus : tantoque impensius ego cupio , quanto plus culpæ sustinebo , si desiderium hoc meum frustrabitur. Solus enim propemodum Manardum , et fere importune perpuli , ut lucubrationes istas suas ita alioqui scriptas , ut a nemine docto reprehendi possint , etiam in manus aliorum pervenire pateretur. Promisi , Bebelium diligentissime impressurum , promisit ipse quoque Bebelius , et primum nomine ipsius Vincentius et ego , circiter viginti aut quindecim exemplaria nec non singula omnium eorum , quæ cuiuscunque generis ex officina sua exiissent. Quod etiamsi Manardus magis annuerit , quam stipulatus sit (non enim solet pacisci) tamen ut meæ suæque fidei redimendæ causa præstet , hortaberis. Et puto sane sua sponte Bebelium quod se decet facturum. Si tamen calcar addideris tu , faciet , opinor , citius. Velim autem , te iudice , et delectum agente , libros ab eo mitti. Fortassis enim alioqui vel mitteret , quæ a Manardo non magnopere curarentur : vel omitteret , quæ ille maxime desiderasset. Euclidem et Platonem et Proclum , licet ipse non excuderit , tamen facile posset adiungere , aut si quid in re medica existat novi. Pergratum feceris mihi si hæc severe hominem monueris. Tum quoque ego officium illud tuum Manardo sic prædicabo , ut intelligat , beneficium istud iam suum se minime ingrato tibi contulisse et mutuam benevolentiam , ut proxeneta inter vos , ita me conciliaturum confido , ut et tu ipsum perpetuum amicum habiturus sis , et ille te ut fratrem summo studio semper prosequatur. Atque hæc de valetudine tua , et Manardi lucubrationibus , quæ apud Bebelium sub prælo sunt. De meis rebus privatim , aut de rebus quæ in Italia publice geruntur , nihil habeo magni admodum momenti , quod certum sit. Ego ferme sum adhuc aulicus , ut eram quando me vidit Bebelius Venetiis : nondum tamen ex ædibus Manardi emigravi. Ob vitandos æstus hos intolerabiles , iam cum a lectionibus vacatur , cum illustrissima Principe nostra Ferrariense , Regis Galliae Ludovici filia rus concessi , nactus nescio quo fato

insignem familiaritatem cum proceribus aulæ eius. Quæ autem mea vita futura sit, aut quis denique status, ἐν θεῶν γούνασι κεῖται. Statuerat quædam de me pater, quæ cum intempestiva mihi viderentur, hactenus procrastinavi. An autem eadem adhuc illi sedeat animo sententia, nescio: sed ex proximis literis intelligam. Respublica Ferrariensis, et vicinia tota, quantum ego scio, bona pace, salubri aura, et ubere telluris proventu fruitur. Ceterum Ligures (quos Ianuenses seu Genuenses vocamus, non minus pene potentes mari infero, quam Veneti sunt in hoc mari nostro supero) infesta classe et ingenti adoriri iam Turca dicitur. An verum sit non satis constat mihi: sed verisimile est, et a compluribus narratur pro vero. Fabula quædam ferebatur superioribus diebus de morte Pontificis ¹⁾, ea vana fuit. Attamen lethali eum morbo decumbere constanter omnes aiunt. Florentinorum dux magna cum festinatione novam arcem ædificat. Plerisque durior esse in subditis fertur. Ego principum negocia non curo. Viderint ipsi.

Bene vale, et uxorem ac socrum et totam familiam tuam meo nomine saluta. Scripsi Belloriguardi (Palatium id est Ducis Ferrariensis, duodecimo a Ferraria lapide) XIII idus Septembris (1534).

XI Simon Grynaeus Sigismundo Gelenio S. P. D.

Sigismundus Gelenius, iuvenis doctissimus quo tempore Grynaeus Heidelbergæ docebat, Basilæ, Erasmo fautore, in officina Frobeniana corrigendis et emaculandis auctoribus occupatus erat. In qua officina quum Livius cum quintæ decadis libris quinque a Grynæo in monasterio Lorsensi detectis proditurus esset (prodiit autem a. 1531 Erasmo editore), hac de re Grynaeus Gelenium quædam admonet.

S. Tuam amicitiam, mi Sigismunde, munificentiamque Frobenii neutiquam recuso, quod te mihi Philippus in hunc modum commendavit, ut non possim non optime de te sentire. Porro autem quid ita accidit, ut ad vestram officinam Livius ille squalidus et lacer appulerit, proditurus scilicet iam tandem et nitidior et locupletior, non est id omnino mei consilii. Quid enim mihi patiar adscribi, quod, ut ingenue fatear, sortis est potius. Repertum a me Livium dedi ei viro, qui ex negotio primum Hageneam, deinde Argentinam, postremo Basileam erat petiturus. Iussi, ut hisce in locis exemplar procuderetur, ea lege, ut in huius operis limine mihi liceret ad Philippum Melanchthonem nonnihil præfari. Appulit igitur, ut audio, apud vos fœliciter, ut arbitror: ita tamen optime, ut spero, adornabitur. Lucri ego quicquam, neque concepi ex eo facere, neque hodie flagito: si quid huic vero autem, ob impensas vel gratificati estis, vel gratificaturi etiam, id totum erit vestræ humanitatis. Neque is dum rediit.

Vale mi Sigismunde, et me commenda bonis omnibus, inprimis autem Erasmo.

¹⁾ Clementis VII, qui obiit mense Septemb. 1534. Cf. Leop. Ranke die röm. Päpste I. p. 126. 238.

XII. Joannes Sturmius Simoni Grynæo S. P. D.

Sebast. Münsterus, quem æquales Strabonem Germaniæ appellaverunt, a Joan. Sturmio, quippe in Iflia (Eifel) nato (a 1507), petierat, ut sibi Cosmographiam edituro de illa regione accurate perscriberet. Cui petitioni cur obsqui non possit, Sturmius Grynæo explicat, de studiis iuvenilibus disserit et quam voluntatem erga Grynæum habeat, libere exponit.

S. P. Sebastiano Munstero, mathematico vestro, in patriæ meæ descriptione plane adesse non possum. Egi cum Brucnero, et iis qui hic sunt Ifliis, neque hi nos iuvare possunt: et ego quam longe lateve pateat, et quæ habeat oppida, quas arces atque castella, et quibus definia-
tur distinguaturque fluminibus, non memini me legisse, aut audivisse ex nostris. Nam et ad-
lescentulus Leodium ad Grammaticos missus sum: et puer Solaedæsolium, quæ mea est patria,
et Cronemburgi, et Carpenæ, et Manderschidii, et Mongaudii fui: atque haud scio, an hæc
omnia ad Ifliam pertineant. Quamobrem nec Munsteri petitioni satis facere, neque patriæ
laudi adesse possum, præsertim hoc tempore. Sed si differri res hæc in aliud tempus potest,
scribam ad nostros, ut mihi descriptam eam regionum mittant. Verum hic tu ne mihi vel
patriæ odium obijcias: sum enim ab illa tractatus primum liberaliter, deinde honorifice: facio
autem quod facere solent, qui nimium sunt φιλοπάτριδες. Non Græciam, sed solam Ithacam toti
Africæ antepono: hoc est, non solam Ifliam, sed Solædam ego, quam et reliquam Ifliam, et
vicinam Coloniam semper pluris feci. Itaque me, non ut Nestorem, sed Tityrum iudicasse
putes, non contemptu atque superbia, sed ceterarum regionum ignorance, et cupiditate eius
loci, in quo ego primam lucem cœpi aspicere, et in quo parentes adhuc vivos incolumesque
habeo: Gulielmum patrem, et Getrudem matrem, quorum mihi cariora et honestiora nomina
sunt, quam Ciceronis atque Terentiæ, et Catonis ac Marcia: non solum quia ad me non per-
tinent, sed etiam quia in illis perpetuatio necessitudinis, atque amoris non fuit: inter hos
fuit et est futura, dum vivant. Itaque benevolentiam charitatemque in me erga patriam, pa-
rentes retinent, fratres retinent et sorores: retinent cognati, affines, propinqui, amici. Locus
etiam ipse retinet, in quo Germanorum vetus illa simplicitas, et fides retenta quasi habitare
vel potius ad eundem migrasse mihi videtur. Verum quid ego patriæ amorem probare instituo
tibi, qui de mea erga te voluntate dubitas? Quid ais? Meamne voluntatem offensam abs te
esse? Aut te non idoneum esse ad nostram amicitiam? Ego vero, mi Grynæe, principio te in
Gallia hominum sermonibus, et magnorum virorum testimoniis absentem mea voluntate com-
plexus sum: postea vero simulac te Argentinæ et vidi et audivi, non solum amandum te, sed
etiam colendum esse mihi statui: eamque opinionem Basileensis congressio confirmavit, et sta-
bilivit Vuormaciense commune hospitium, quotidianaque per tres illos menses familiaritas:
quæ omnia tanti facio, ut si nulla de causa tibi inimicus fierem, viderer mihi sceleratus esse:
si aliqua, tamen non pius, si amici vitia et morbos ferre nequeam. Sed certe nihil est, in quo

sim offensus. Et quoniam mihi nostra coniunctio non modo iucunda, sed etiam honorifica fuit: hoc est, quoniam tua benevolentia in meis studiis me et iuvit et ornavit, acerbissimum mihi foret, si eam aut tolleret aliqua offensio, aut suspicio aliqua minueret. Quod vero superioribus mensibus non scripserim, in causa sunt: primum, quia abfui duos menses Ratisponæ: deinde postquam redii, per nundinas nostras Mediomatrices profectus sum. Ante hæc duo tempora scripsi, non quidem sæpe: non enim tabellarios habui tum cum aliquid haberem quod scriberem: et cum haberem, nihil erat quod scriberem. Sed tamen non semel ita me scripsisse memini, ut significarem meum erga te studium et amorem, et observantiam. Et profecto mi Grynæ, diligo mores tuos atque doctrinam, et colo tuam virtutem et sanctitatem: easque ob res tui et cupidissimus sum, et studiosissimus. Sed tu vide, ne dum me ad diligentiam hortaris, tu nostro amori atque voluntati deesse videare. Ioachimus meus Camerarius, meus inquam, non enim patiar posthac tuum esse, nec esse etiam Philippi, nisi nostrum, hoc est, communem esse concedatis; quod si permittatis, Ioachimus noster Camerarius mecum constituit, hoc genere exercitationis, et coniunctionem nostram ornare, et ita scribere, ut edere etiam in vulgus, si sit opus, possimus. Quare ita ad me tu quoque scribe ut tuæ quoque epistolæ cum nostris in manus hominum exeant, in eoque utere tuo illo politulo iudicio, et acumine sententiarum, et varietate rerum. Potes enim cum vis et in brevitate, subtilitateque delectare, et in copia, varietateque ornare: quorum alterum, in rebus magnis observo libenter: alterum in epistolis venustum est, et gratiam habet. Vides assecutum te, quod me voluisti, ut me tua epistola commoveret. Nam profecto commovit, fuitque gratissima, etiam ubi maxime commovebat, dolebamque me de silentio et negligentia accusari. Nam de alienatione non eram sollicitus: retineo enim propensum, firmumque erga te animum meum.

Vale. Argentorati, quarto idus Iulias M. D. XLI.

XIII. Georgius Corenbechius Pannonus Simoni Grynaeo

S. P. D.

Pannonus quidam, quem Grynæus Budæ et Vitebergæ instituerat, gratissimam præceptoris memoriam recolit.

Si vota, Simon doctissime, valerent, optarim certe, me nunquam abs te amotum, vel hodie saltem apud te esse. Ego quanta iactura bonarum literarum te reliquerim, non sane ignoro, haberem utique amiciores Musas. Quæ tamesti me non penitus destituerint, tamen parum abfuit, quin dum aulæ atque victui servio, ipse me ab his, tametsi sedulo reluctatus sum, abdicarim. Sed quis duræ necessitatis leges perfringat? Quæ me diis testibus, invitum abs te abstraxerunt. Quare etiamsi tua me præsentia sors dura fraudaverit, tamen

memoriam nunquam abolebit, qua creberrime absens etiam, præsens mihi esse videris. Atque hæc causa est, quod nullum unquam ad te commodum nuncium proficiscentem, sine literis meis passus sum abire. Eæ gratæ tibi fuerint, aut etiam omnino ad te pervenerint, nescio. Nullas enim a te invicem accepi. Sed quum is vir ad te proficiscatur, qui mihi maxime est amicus, quem etiam tu propter singularem et eruditionem et humanitatem amas, et in amicitiam tuam haud dubie, si non recepisti, recipies: nolui committere, ut is, quem tibi amicum esse, nihil ambigo, sine meis, qualibuscunque tandem literulis te conveniret. Valide enim cuperem, vestro congressui interesse. Hoc quia non licet, volui tamen literis meas partes mandare: quas nisi colloquio vestro exemeris, effecturas scio, ut et tuæ aliquando ad me recurrant. Quod ut facias, te pro pristina tua erga me fide, obtestor, neque tabellionum penuriam causeris, quum D. doctor Viglius Zwichemus Phrysius, qui meas ad te perfert, ad me relegare queat. Tu Simon humanissime age, perspiciam te mei necdum immemorem esse. Ego sane connitar, ut intelligas, me tui semper cum dignitate meminisse. Vale, et tuum Georgium, quem et Budæ et Vitebergæ diligenter instituisti, etiam hodie, fide tua ne destituas. Iterum vale, et quidem in Christo multo placidissimo. O Simon, quam velim me coram tibi loqui posse. Sed age, me literis tuis doctissimis non dedigneris, qui me eruditione et dignitate tua ornare semper voluisti.

Datum Swatzii, V. Cal. Nov. Anno 1555.

XIV. *Simoni Grynæo Jodocus Angeliaphorus S. D.*

Epistola gratiarum plena viri cuiusdam, qui Basilæ Grynæi discipulus fuerat. Res novas tum temporis (1555) animos hominum agitantes cum Grynæo communicat.

Ego vero, mi Grynæe vellem, ut mei erga te favorem ulla saltem ex parte percipere posses. Nihil enim æque molestum est, atque hoc, quod nulla nobis occasio eius repræsentandi detur. Etenim et quam præclare de me meritis sis, quantumque tibi debeam, facile intelligo. Nam quod et vivo, tibi quodammodo acceptum fero. Vivere enim, quod nobis cum brutis alioqui commune est, mors merito appellari possit, si cum altera illa, qua nimirum animus vivit, vita comparetur. Verum enimvero, quando re ipsa τὸ κατ' ἐμὲ προθυμὸν declarare fortuna me non sinit, id faciam, mea ipsius quod situm est in potestate. Hoc autem est, ut verbis meum animum contester. Siquidem, ut inquit Sirannes ille Persa, τῶν μὲν λόγων κύριος αὐτός εἰμι, τῶν δὲ πράξεων ἡ τύχη μετὰ τοῦ βασιλέως. Sane quidem, si qua re plenius talis exprimi affectus posset, quam iugi gratiarum actione, et frequenti beneficii accepti commemoratione, id quoque ego facere conarer: ita totus tui amore ardeo. Assidue enim mihi videor, te et audire et videre præsentem, sive obambulem, sive aliquid aliud agam, sive etiam dormiam. Adeo suavissima illa Grynæi imago, seu ἰδέα menti

impressa, nulloque unquam, quantumvis longo temporis intervallo, obliteranda, insedit. Quid multis? Dubitare tandem, nec prorsus quidem citra rationem cœpi, utrum meum credam animum Basileæ apud Grynæum, an Grynæum hic in nostro versari animo. Sed post diutinam ac variam hac super re disceptationem, hæc tandem apud me, ut prior ac longe verisimilior suam prævaluit, non Grynæum hic nobis: sed contra, nos Basileæ Grynæo adesse tantæ et auditores et admiratores eruditionis. Etenim nec hunc solum video, sed et ipsam domum, familiam, condiscipulos, et totam denique quodammodo Basileam. Nec non e collegio ad ædes tuas, in quas o Grynæe mellitissime, ut solus esses, secessisti, subinde propero, tecum una sub vinea deambulo, nunc hoc nunc illud inquirens. Postremo hanc meam opinionem omnino confirmavit, quod is, quisquis is tandem, qui librum illum *περὶ νόσμων* conscripserit, animum expaciari et peregrinari dicat. Et hæc de quæstione nostra hactenus. Nunc de quibusdam aliis, quæ hic apud nos partim narrantur, partim geruntur, pauca. Philippum Melancthonem Lutetiam adiisse, cum magistris nostris de re Evangelica disputatum aiunt. Obsides quoque eius loco, quatuor nobiles a rege Franciæ, cuius hæc rogatu fiunt, traditos. Accepimus et Angliam tumultuari, plurimosque a Scotis ipsorum nimirum hostibus prostratos. Cæsar quid cum Germanis egerit, incertum nobis est. Circumferebantur hic articuli tredecim, qui ad tempus usque concilii post trienium, ut fertur, instituendi, communi et Cæs. et principium Germ. consensu, vivendi regula essent. Sed Sen. nostri decreto interdictum est, ne quis hac de re verba facere audeat. Captus est hic unus atque alter, brevi forsitan ob hæresim, sic enim vocamus, capite plectendus. Quod scribam, aliud non habeo. Tu si quid certius de Cæs. audisti, scribere ne graveris. De rerumstrarum statu studiique progressu, scribere in præsens differam, tum ob nuncii importunitatem, tum, quod res paucis comprehendere non possit. His itaque nunc contentus valebis, et nos Amorbacchio iuris peritorum nostræ ætatis facile principi, diligentissime excusatos reddes, quod nihil hoc tempore ad ipsum literarum dederimus, quod sane neutiquam nobis omittendum fuerat, si temporis brevitās tulisset.

Vale et coniugem, Thomamque tuum, meumque Severinum, si modo adhuc ibi sit, et Petrum compactorem librorum, et Simonem Zul cum uxore, meo nomine saluta, et reliquos omnes condiscipulos meos, quos longum foret enumerare.

Primo Cal. Martias, Anno 1553.

Totus et ex animo tuus.

XV. Jacobus Milichius Simoni Grynæo S. P. D.

Alius discipulus Grynæi medicinæ studiosus, quem Viennæ instituerat, ob Aristotelis opera Græce edita ei gratiam habet, pro eius salute vota facit atque Bebelium omnium chalcographorum principem pronunciat.

S. D. Scripsit mihi nuper Bedrottus, tua opera et studio edita esse Aristotelis opera Græce: pro qua re ego privatim meo nomine tibi habeo gratiam. Publice vero omnes boni ac

honestarum artium studiosi tibi summa animi gratitudine summas gratias referent. Nemo enim ex illo numero est, qui non sua studia tuis istis honestissimis laboribus adiuta et confirmata esse sentiat. Multi nostra aetate novos libros scribunt, qui omnium ore feruntur, et quibus omnes applaudunt. Verum ego existimo, maius beneficium conferri in studiosos ab illis, qui hos autores in lucem proferunt, qui tot sæculorum consensu a maximis hominibus summa in admiratione fuerunt, et ex quorum lectione optimarum rerum cognitio percipi potest: quam ab illis, qui imperiti communium rerum, novos libros scribunt. Vereor enim, ne ubi istis libris detracta fuerit novitatis commendatio, qua unica re ad vulgus in admiratione et precio existunt, parum auctoritatum reliquum maneat. Ego itaque, humanissime præceptor, Deum precor, ut tuis sanctissimis laboribus felices successus præbeat, teque diu superstitem ac incolumem nobis servet, ut adhuc multos clarissimos autores in lucem proferre possis. Quod si præsens ætas non respondebit tuis laboribus, at certe melius iudicium posteritatis erit. Cupio, ut aliquando per ocium nos de tuis rebus certiores reddas. Non credis, quantum cupiam, te aliquando coram cernere et colloqui. Haerent enim adhuc in animo meo maxima tua beneficia, quæ in me Viennæ contulisti, pro quibus Deus reddat tibi gratiam: ego enim nunquam ex æquo respondere possum. Dabo tamen operam, ne queri possis, te in immemorem et ingratum hæc contulisse. Ego adhuc hic hæreo, mediocri conditione contentus, non enim video locum aliquem studiis commodiorem, atque est Vuittenberga, in qua viri summa eruditione ac fide docent: quos ut Deus diu salvos et incolumes servet, precor. Ignosce rudibus literis: in istis enim studiis versor, quæ non sinunt esse facundum ac disertum. Scis enim, ut tota medicina hodie barbarorum scriptis plena est. Feceris itaque rem omnibus studiosis gratissimam, si Galenum quoque castigationem nobis exhibueris. Bebelium quoque arbitror magnum operæ precium facturum, qui nobis illos autores exhibet, quos reliqui Chalcographi præ inbecillitate animi non audent attingere, qui nihil cudunt, nisi, quod statim a prælo distrahitur. Itaque hunc Bebelium omnium Chalcographorum primum et principem esse, vere ac recte iudicemus. Christus te diu salvum et incolumem nobis servet. Bene vale. Vuittenbergæ, die solis post Agnet. M. D. XXXI.

XVI. Vitus Vuinsemius Simoni Grynæo S. P. D.

Iuvenis quidam, qui Vuittenbergæ studia exercebat, Grynæo præceptoris maximas gratias agit, Sinapium laudat, quas scholas Melanchthon habeat quidque novi ex Austria sibi allatum sit, Grynæum docet.

S. D. Litteræ tuæ, observande mi Simon, quas iampridem cupidissime expectabam, fuere mihi iucundissimæ. Animum enim tuum nostri adhuc amantem et summam humanitatem testabantur. Neque vero est, quod putes amorem illum, quo ego erga te, cum hic esses, accensus fui, iam refrixisse. Ille enim, dum memor ipse mei fuero, dum spiritus hos reget

artus (ut ille inquit) apud me nunquam exolecet: faxit modo Deus, ut illum tibi aliquando re ipsa et officio aliquo non vulgari possim declarare. Nam id ex animo opto, ut ea mihi aliquando dies elucescat, quæ occasionem bene merendi de te afferat: quæ si quandoque oblata fuerit, præclare mecum agi putabo daboque operam, ut quidvis potius in me competat, quam nomen ingrati. *Sinapium* nostrum apud te esse, tuaque familiaritate uti, vehementer gaudeo: et opto, ut ille tibi fiat quam coniunctissimus. Est enim summa probitate adolescens, et ingenio haud pœnitendo, speroque, illius tibi consuetudinem fore voluptati. Ego quoque, si me aliquis casus Vuittembergæ avelleret, non scirem, quo me reciperem, nisi ad vos. Nunc vero Vuittembergæ esse, et Philippo uti, dum licet, malo: quem ego virum quotidie magis magisque amoque et admirror. Prælegit ille hac hyeme nobis privatim dialectica, exactius multo et copiosius quam unquam antea. Iam orationem *περὶ στεφάνου* finiet, Topica Ciceronis paucos ante dies absolvit. Neque cessat unquam, neque ullum ociosum spiritum ducit, quanquam admodum affecta valetudine est, quin studia nostra adiuvet et promoveat assidue. Sunt vero omnia hic quieta et pacata. Princeps noster ille iunior ¹⁾ post pauculos dies nuptias faciet, in quibus parandis omnes sunt occupati. Principem vestrum ²⁾ quoque advenire fama est, et alios præterea multos: magnus et apparatus, magni sumptus. Faxint superi, ut principique rei publicæ fœlix ac faustum sit hoc matrimonium. Accepi hisce proximis diebus literas a Rythaymero, qui Austriam totam fervere bello, quod in Ungaros paratur, scribit. Viennam vallo fossisque muniri, literas iacere prostratas, Ferdinandum quotidie sæviorem fieri in Lutheranos. Vix sibi amplius tutum fore illic morari: si metu abeundum fuerit, Vuittembergam se recepturum. Hæc ferme illius epistolæ capita sunt. Tu, si quid illi scribere voles, huc mittas: ego ut ad illum perferatur curabo. Sunt enim mihi, quibus sane tuto mandare possim. Meque fac ut ames tui amantissimum. Inquit enim Hesiodus τὸν φιλέοντα φιλεῖν καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι.

Vale Vuittemb. prid. id. Maii. Anno XXVII.

Vitus Vuinsemius tuus.

XVII. *Simon Grynaeus Sixto Dietricho S. P. D.*

Sixto Dietricho Grynaeus gratias agit ob donum musicum sibi missum.

S. Recte facis, cum hoc genus muneris musici ad me mittis, Dietriche charissime; vehementer enim amo. Sed si mittis elucubrata abs te facis longe gratissimum: cuius ego venam, nescio quomodo miratus sum semper. Virilis est et erectus omnis cantus tuus, quo cum

¹⁾ Videtur intelligendus esse Ioannes Fridericus, qui patri Ioanni Electori a. 1532 successit, de quo cf. *Menzel neuere Geschichte der Deutschen* II. p. 18.

²⁾ Ludovicum V. Electorem, qui regnavit ab a. 1508 usque ad a. 1544. De cuius ingenio cf. *Seisen Geschichte der Reformation zu Heidelberg*. Heid. 1846. p. 7 sq. et *Hautz Lycei Heidelbergensis origines et progressus* Heid. 1846. p. 6.

hominum genere mihi semper plurimum conveniebat. Ego igitur, quod nunc idem unum possum, habeo amplissimas tibi gratias pro ista benevolentia erga me tua. Ac cogitabo referre etiam, si qua sese afferet occasio. Basileæ Calend. Octob. 1534.

XVIII. Joannes Claimondus Simoni Grynaeo S. P. D.

Grynæus, cum Angliam et Oxonium viseret, in Claimondi amicitiam venerat, cuius liberalitatem in præfatione Platonis græci 1554 editi magnopere laudat. Respondet vir humanissimus Grynæo eique et Bebelio ob libros sibi missos gratiam habet.

Ad quartum idus Maias, redditæ sunt abs te mihi literæ, quæ mihi iam cæcutienti, primo aspectu, facessebant negocium legendo: adeo propere tuus percurrit (imo volitat) calamus, ut obscurius atque confusius characterum imprimantur effigies ¹⁾. Sed hæc ioco. Ex his tamen intellexi, bellicum tumultum (ut solet semper) ocio literario et bonis obfuisse disciplinis: fuisseque in causa, ut tardius quam institutum erat, cessante prælo edatur partus. Accipio excusationem. Nihil enim incommodi, præter temporis dilatationem, quæ rependi poterit operis sinceritate. Quod autem scribis, te aliquid inserturum ad mei nominis memoriam: noli id (si me ames Grynæe) penitus efficere. Id solum exopto, uti hic inglorius, libro vitæ inscribi merear. Quam tardus sim et negligens in scribendo, tu ipse es testis, qui vix a me, ad meum Erasmus, longa exhortatione extorsisti literulas. Parce itaque meæ tarditati, et senili ~~tempori~~, quod iam antea tuo ^Fmunusculo (Iacobum Zieglerum intelligo) nihil ad te rescripserim. Noli inire mecum amicitiam, quæ non est venalis, muneribus. Satis precii est amoris compensatio, quæ in me deerit nunquam. Addidisti (ut et tuæ et Bebelii præ se ferunt literæ) corollarium: Lactantium videlicet, expolitum authorem. Sed cum hæc scripsi, non acceperam. Tibi tamen nec debentur ideo, nec habentur a me gratiæ minores. Decrevit Bebelius (uti ad me scripsit) paucos intra dies, Londini prælo committere authores. Quod ^Ffecerit, limabo fortasse meas in Plinium ineptiunculas, ut a iuventute saltem inspiciantur, etiam si fastidiantur ab eruditioribus. Vale: et si quando nostrum alloqueris Erasmus, eum meo nomine salutes. Iterum vale, et tuo Claimondo utere ut libet. Oxoniæ, tertio idus Maias.

Torpori!
F. provocans

F. si

¹⁾ Nihil verius hoc lepidissime dicto. Grynæi epistolæ, quæ hodie exstant, ita scriptæ sunt, ut legi vix possint. Iam Erasmus hac de re iocatus est. Cf. Epist. I.

XIX. *Simon Grynaeus Thomae Grynaeo suo S. P. D.*

Simon Thomæ Grynæo, fratris filio, accuratissimam expositionem orationis Ciceronianæ pro
P. Quintio perscribit.

In eam orationem ingressus es principio, quæ est difficillima, cum forenses consuetudines ignotas tibi, tum ob actionis ipsius per se lubricitatem. Non enim genus hic unum est: verum iuvare te conabor. Primum de re, ut est gesta, dicam: postea de actionibus ut ordine alia ex alia est nata, et de istis formis forensibus ne quid hic erres, postremo de statu ipso et summis capitibus argumentisque subiectis. Igitur res ita habet: Orta lis ex societate est, quam Nævius et Quintius, rerum Gallicanarum multis annis communem habuerunt. Nam mortuo C. Quintio, socius novus P. Quintius hæres institutus, in societatem eandem venit, unde valde implicatæ rationes omnes fuerunt. Is Quintius accepta hæreditate, res quas in Gallia privatus habebat, vendere auctione instituit. Sed auctionem dissuadet Nævius, temporis illius incommoditatem allegans, ac ultro etiam mutuum pollicens, fraudulenter utrumque. Credit Quintius hominis promissis, ac Romæ mutuum ab illo postulat. Sed Nævius dare negat quicquam, nisi de omni ratione societatis prius inter ipsos convenisset. Placuit hoc Quintio, cum alias, tum quia sic maxime res cogebat. Experiri uter utri ex societate debeat, datis arbitris placet, sed nullo pacto potuit convenire. Itaque iure disceptandum fuit, cœpitque res esse in vadimonium: id est, sponsionibus hinc inde datis acceptisque, iudicio sisti promittunt. Sed arte Nævii dilata sæpe vadimonia fuerunt: id est, sæpe termino, dieque iudicii veniente, dies constitutus alius fuit (id est, er hat für und für eyn andern rechtstag bestimpt). Tandem Nævius ad vadimonium, id est constitutum iudicii diem venit, nil se amplius postulare simulat, nec vadari Quintium, nec illi vadimonium promittere. Credit Quintius, ac in Galliam abit. Nævius ad prætorem, statim ut abiisse Quintium intellectum est, currit, vadimonium sibi ab illo desertum esse multorum ignobilium hominum testimonio docet. Prætor querelis his credens, bona Quintii Nævio ex edicto addicit. Alphenus Quintii absentis procurator Romæ, quid apud prætorem egisset Nævius (quia id nemo nec ipsi, nec amicis Quintii renuntiarat) non ante rescivit, quam proscribi bona Quintii, et iam a Nævio invadi primum cœpissent. Hic igitur opponit sese, ac distrahi res Quintii non sinit, libellos proscriptionis, id est affixas chartas ubique deiicit, ac omnia facit, ut absentem defendat Quintium. Diu apud prætorem certatur, dum Nævius satisdare sibi vult: Alphenus dare negat, tandem Dolabella prætor dare satis Alphenum iubet. Alphenus ad tribunos provocat, ac efficit denique, ut iudicio sisti Quintium promitti, contentus esse Nævius cogatur. Promittitur, sistitur Quintius ad vadimonium Romæ iam alterum: de quo nulla post hac quæstio fuit. Sed litem hanc annum unum et dimidium Nævius iterum producit, dum prætorem ex sententia Dolabellam suum invenisset. Itaque hoc prætore Quintium aut satisdare, aut sponsione certare cogit. Mavult sponsione certare Quintius. Hæc est gesta res, sed quam velut

per transennam cernis, forensium rerum ob difficultatem. Has igitur formulas et actiones ipsas tibi nunc explicabo. Prima itaque actio et principalis est, uter utri ex societate debeat: pendens haecenus, ac nondum explicata: sed parti utrique integra. Est autem societas duorum pluriumve inter se certoque in negotio contractus, quo omne lucrum, omnisque iactura communis utrisque est. Fit autem commodiorem ob usum, res legibus non valde licita: perraro enim fraude in rempublicam caret. Tales nostro seculo sunt societates Fuggarorum, Vuelser, Prechter, ect. Sæpe autem rationes hae societatum adeo sunt implicatæ, ut vix ipsi satis norint socii in singulos annos, quid lucri ad singulos redierit, quantum quisque sociorum impenderit, præsertim si fide agitur inter socios non bona. Hæc igitur prima actio fuit. Ex hac autem de societatis rationibus diu suspensa principalique lite, lis nascitur secunda, qua deseruisse vadimonium accusatur Quintius, et qua bona ipsius edicto prætoris ad Nævium pervenisse contenditur. Hic diligenter de vadimonio dices. Vadimonium est, cum promittunt partes sponsione data ad certum tempus iudicio adesse. Vadatur aliquem is, qui sponsione data iudicio adesse cogitur. Promittit vadimonium aliquis, qui sponsione data iudicio affore recipit. Deserit vadimonium is, qui sponsionem a se datam fallit, et ad certum tempus in iudicio, sic ut promiserat, non adest, nec ipsius loco quisquam: ac causam deserit suam, cum non solum unum alterumve diem desideretur, sed fraudandi creditoris gratia ultro latitet, nec quenquam mittat, qui se defendat. Quæ res plane ignominiosa fuit. Itaque mos erat, ut eius bona qui vadimonium creditori deseruisset, ex edicto prætoris creditori addicerentur: non ut ipsius prorsus essent omnia, sed ut his post trigesimum ab additione diem divenditis, ipse se creditor solveret: et si quid superesset, debitori desertorique vadimonii postea restitueretur. (Das ist, eym sein gut vergandten, bis das sich die schuldner druss zalen): quæ res fit non tantum ob creditorum, sed etiam ob debitorum utilitatem. Satisdare autem in tali bonorum possessione (quod ante omnia sollicite te hic observare oportet) est, certo idoneoque fideiussore interposito, aut pignore dato, bona sua quæ ex edicto iam possideat alius, sic redimere ac recuperare, ut satis cautum creditori sit, debitum omne prorsus solutum iri. Ubi vides, quare Alphenus, Quintii procurator, satisdare noluerit: nempe quia bona Quintii ex edicto a Nævio possessa esse, fateri noluit, cum dolo Nævius prætori obrepsisset. Vides etiam, in qua causa, et quare satisdari sibi vicissim Alphenus postularit: nempe qui non de vadimonio deserto, sed de re ipsa et principali societatis controversia experiri cum Nævio semper paratus esset. Habes scrupum, qui hic est maximus, satisdare in hac causa quid siet. Nam satisdare communiter est, satis alicui aliqua de re cavere. Quod duobus modis maxime fit. Posteriore, ut quod iudicatum sit, id solvatur. Priore, ut qui conveniendus iure est, iuri se sistat, ac iuris sententiam ne deflectat. Ergo prima hic actio, et vera, de rationibus societatis est. Altera, de deserto vadimonio, vera non est: quia pars

Quintiana, cum de ea re in iudicio ageretur, præsto non fuit: sed tum, cum iam bona invaderentur, sese opposuit, ac parata satisfacere fuit, non deserti in vadimonii, sed principali in causa, ut quicquid in ea iudicatum fuisset, solveretur. Ergo in principali causa Alphenus, procurator Quintii, omnia facere satisque dare paratus est. In secunda, scilicet vadimonii deserti actione, cum desertum esse negaret, satisfacere non volebat: quia iniquum, ac contra civile ius actum esse cum Quintio putabat, unde etiam ad iuris civilis vindices tribunos plebis provocavit: ubi id effectum est, ut intra certum diem iudicio Quintium sisti promitteretur. De sponsione nunc vide, loco hic æque difficili. Sponsio est, sponsoribus sese ad aliquam rem obstringere. Vulgaris et usurpatissima res in omni foro, quoties de personarum aut fide aut facultatibus dubitatur. Sed sponsione certare longe est alia res: et nascitur hæc actio tum, cum pars utraque bonam se causam habere putans, sic contendunt iudicio, ut non solum controversiæ eius sententiam expectent: sed mulctam etiam pars victa solvat, decimam scilicet bonorum, de quibus lis est: partem, si privata causa sit: quintam, si publica. Vides iam, ut callide Nævius ad Dolabellæ præturam, litem producerit: idoneum sibi hunc iudicem sciens, per quem aut satisfacere in causa deserti vadimonii, aut sponsione certare Quintium, ac depulsum a principali causa, actionem vadimonii deserti veram subire coegit. Erat autem in recuperatione bonorum, quæ vadimonio deserto in potestatem venissent, satisfacere ignominiosum et infame: sponsione vero certare in hac quidem causa deserti vadimonii, eodem ducebat, sed tamen non habebat manifestam ignominiae confessionem. Cum igitur cogente prætore alterutrum Quintio esset faciendum, sponsione certare sub Aquilio, quam satisfacere sub Dolabella, maluit, sperans sub æquo iudice capitis infamiam arceri posse. Erat autem in hac re hoc etiam incommodi, quod qui sponsione certat reus, priore loco semper dicit. Fuit enim sponsio talis: si Quintius vadimonium deseruisse per Aquilium iudicatus fuerit, ut decima bonorum parte Nævio mulctetur, causa principali nihilominus utrique semper integra manente. Ergo recta a primo loco probandum fuit, Quintio desertum vadimonium non esse: ac reus cum esset Quintius, in causa tam periculosa priore loco coactus est dicere. Prima igitur actio societatis est, ad quam semper Quintius contendebat, sed pervenire partim Nævii fraude, partim prætorum inscitia et iniuria non potuit: unde novum, inusitatum ac singulare iudicium hoc Cicero non semel vocat. Secunda, deserti vadimonii est: tertia satisfactionis, quarta sponsionis, quæ hic a Cicerone peroratur. Est igitur status orationis totus hic: Quintius Nævio ex sponsione nil debet. Quæ sponsio est, ut si iudicatum fuerit, bona ipsius edicto prætoris a Nævio rite possessa fuisse, parte bonorum decima mulctetur, causa principali semper integra manente. Hæc principalis est propositio, quæ tribus maxime argumentis probatur. Primo, quia nulla unquam iusta de causa, bona Quintii Nævius postularit, uti possidere liceret. Secundo, quia nunquam secundum edictum possidere potuit. Tertio, quia nunquam ex edicto possedit. Quorum trium

argumentorum , seu rationum , diligenter tibi est differentia tenenda. Nam prima hoc significat, nunquam quicquam Quintium Nævio debuisse : aut si quid debuisset , inhumanissime tamen esse factum , ut ab illo bona eius invaderentur. Itaque falsas causas commentum Nævium prætore obrepisse. Secunda significat hoc, nec recte nec legitime edictum prætoris impetratum, scilicet quia competere in Quintium minime potuerit. Tertia significat , nec rite iuxta edictum bona Quintii Nævium adiisse. Sed age , iam propositum singularum argumenta diligentius expendamus. Argumentum primum est : Nævius nullam unquam causam habuit , cur postularet bona Quintii. Ratio principalis : Quia nil unquam debuit Quintius. Confirmatio principalis : Tanto enim tempore nil unquam Nævius ab illo postulavit. Amplificatio prima : Hoc prodigalissimi homines etiam non omitterent. Secunda amplificatio : Hoc viri boni semper facerent. Obiectio prima : Sed noluit ei molestus esse. Secunda : appellare non audebat. Responsio ad obiectiones : at iam spirare non sinit , iam caput oppugnat. Reditio ad argumentum : Tanto tempore non petiisti , non statim , non paulo post , non aliquando , non anno , non anno cum dimidio evoluti. Obiectio tertia : At appellandi tempus non erat. Responsum : Annus fuit integer et dimidius. Obiectio quarta : At in Gallia conveniri non potuit. Responsum : In provincia ius semper dicebatur. Divisio, qua complectitur causas omnes : Aut negligentia igitur, aut liberalitas obstitit, quo minus peteres. Sed utrumque hic incredibile est. Conclusio argumenti primi : Ergo nil tibi debebatur. Argumentum secundum, nil Quintium debuisse, actione ipsa, factisque suis Nævius declarat. Ratio prima : non pecuniam, sed famam petit Quintii. Ratio secunda : Si pecuniam peteret, dudum finita lis esset. Semper enim paratus Alphenus iudicium accipere fuit. Confirmatio rationis , ubi tota causa inspicitur ordine : Pecuniam petit , deberi negamus , iudicium fiat statim. Redit ad rationem primam argumenti secundi : Omnia iudicia experiri mavult, quam de re ipsa principali. Argumentum tertium propositionis primæ : Nec etiam , quia vadimonium deseruit Quintius, bona ipsius postulare Nævius debebat. Duas habet hoc argumentum tertium partes. Primam per concessionem : si deseruisset vadimonium Quintius , tamen bona huius non fuissent tam hostiliter invadenda. Secunda : Prorsus autem non deseruit. Primæ partis ratio est hæc : Nævius , etiamsi desertum fuisset vadimonium a Quintio, indigne tamen bona eius invasisset. Ratio prima : Quia propinquus erat Quintius. Secunda, quia socius. Tertia, quia præsto ei semper fuit. Quarta quia extrema et infensissima hæc est ratio iuris. Amplificatio , quæ sit calamitas , deserentis vadimonium bona proscribi : qualis sit res , qualiter fiat , comparatione iacturæ pecuniariæ , item comparatione ipsius mortis. Amplificatio secunda : Raro maiores hanc rem permittebant ut fieret. Rursus eiusdem rei exaggeratio, item rursus eiusdem amplificatio , dum in se Cicero Nævii factum , bona Quintii tam hostiliter invadentis, transfert : ac ita docet, quam sit turpe. Loci huius, de æquitate et humanitate et officio , conclusio : Frustra Nævio de officio multa prædicamus. Pars secunda argumenti secundi : Vadimonium Quintius prorsus non

deseruit. Ratio: nam quo die promisisse vadimonium dicit Nævius, eo die Romæ Quintius non fuit. Nam factum vadimonium nono Idus Februarii mentitur Nævius, cum pridie Calendas Februarii, Roma in Galliam Quintius abiisset. Testes: Qui abiit una Albutius est, et qui utrunque abeuntem sunt comitati, item et tabulæ. Quærela: sed video plus astipulator (quem hodie notarium publicum vocamus, quem Quintius adhibuit, cum multorum testium probaret se stitisse vadimonio, Quintium non stitisse, de quo supra) Nævii unus, quam tot testes, tot literæ Quintii, potest. Conclusio totius primæ propositionis principalis: ergo nulla causa fuit, cur bona Quintii unquam Nævius postularit. Secunda propositio principalis: Nec recte, nec legitime, nec pure bona Quintii edicto possidere potuit Nævius. Ratio principalis huius: Quia edictum hoc non competit in Quintium. Confirmatio: Loquitur enim edictum de carente hærede, de exule, de latitante fraudulenter ob debita, quorum nihil in Quintium competit. Ac cætera quidem manifesta sunt: non latitavisse autem (quod absentem Quintium Nævius calumniabatur) sic patet. Nam is latitat, qui nec ipse, nec ipsius nomine quisquam ad iudicium constitutum comparet: sed, ut supra diximus, expectatus diu, vadimonium causamque deserit. Quintius autem, qui se Romæ contra Nævium defendisset, procuratorem Alphenum semper habuit, legitime sese in tota actione interponentem: non latitavit igitur. Quæ sequuntur obiectiones adversariorum, adversus Alpheni defensionem sunt. Prima: Satisdare Alphenus procurator pro Quintio noluit, responsum non debuit. Obiectio secunda: Sed hoc prætor decernebat, responsum non recte decernebat, ideoque facta est ad tribunos provocatio. Tertia obiectio: Provocare ad tribunos, non est iudicio se defendere: itaque iudicio per Alphenum defensio Quintii non est. Responsum: Nemo hoc dicere potest, nisi is qui malæ causæ præsidium et effugium quærit. Conclusio principalis: Ergo defensio absens Quintius est, nec latitavit. Itaque tradi eius bona edicto cuiquam non potuerunt: quantisper adhuc, iure contendere paratus fuit. Confirmatio secunda quod defensio per Alphenum Quintii sit, quia per viros bonos libellis obsignatis in defendenda causa principali satisdare paratus fuit: et Brutus ipse Tribunus plebis sese interposuit: et bonorum intercessionem effectum est, ut Alphenus tantum sisti Quintium promitteret. Concludit iterum propositionem principalem secundam: Ergo nil a procuratore Alpheno prætermisum in defendendo Quintio. Obiectio hic quarta: Sed potentia Alpheni suspecta fuit Nævio, nec illi cum eo par certamen erat. Responsum: Fac ita esse, non probas tamen procuratorem non fuisse: sed tantum, gratiosum fuisse probas. Ubi comparatio causæ Alpheni cum Nævio, tum et Nævii cum Quintio, nunc gravi cum quærela infertur, iniquissimam hanc concertationem esse declarante, cum illa fuerit æquissima. Conclusio finalis propositionis secundæ principalis: Ergo Nævius bona Quintii edicto possidere non potuit. Sequitur propositio tertia principalis, Nævium Quintii bona nunquam ex edicto possedisse: id est, nihil prorsus iuxta edictum bona alterius, possidendi Nævium egisse. Ratio principalis: Nam qui bona alterius iuxta edictum prætoris usurpare sibi vellent,

hi primum cæteros creditores sponsoresque illius omnes vocare debent: deinceps triginta dies bona possidere antequam distrahere aggrediuntur. Tertio, publice vendere: quarto, omnia, non partem bonorum traditam sibi per prætorem habere: quinto, testibus adhibitis omnia facere: sexto, ante sententiam definitivam nihil bonorum illius attingere: et cum adierunt, tantum custodire, dominum ipsum minime eiicere debent. Hæc maior est huius argumenti propositio. Minor est: Sed Nævius non solum nihil horum, sed contra omnia fecit: sponsores et creditores cæteros non convocavit, bona publice non vendidit, et vix servulum unum attigit, nedum universa bona: testes nullos adhibuit, ante sententiam iudicis Quintium in Gallia communi agro, per communes etiam servos vi depulit. Id quod colligi ex tempore iudicii habiti, et eiecti Quintii, facillime potest, cum septingenta millia triduo quenquam perficere sit impossibile. Conclusio: ergo Nævius nullo pacto bona Quintii ex edicto possedit. Sequitur peroratio principalium capitum trium, et conclusio: Ergo sponsione Quintius non vincitur, sed causam omnem de societatis rationibus integram habet. Deinde sunt preces et quærelae mixtæ, in causa Quintii valde oppressa et laborante. Habes summariam orationis huius expositionem: quæ valde te iuvabit, si accurate ipsam prius perspexeris: sin minus, perparum tibi ista conducent. Vale.



B. EPISTOLÆ AD THEOLOGOS MAXIME SCRIPTÆ.

XX. *Philippus Melanthon Simoni Grynaeo*

S. P. D.

Agitur de rebus privatis et de magna illa agricolarum seditione a. 1524 exorta.

100 S. Fiducia nostræ amicitiae factum est, cur ad te nihil scripserim. Itaque nihil est, quare magnopere meo silentio angare. Illud me potius nonnihil perturbavit, quod de mea fide, deque constantia, tam levi adductus suspicione, dubitas. Sed hac de re deinceps. Ἀμνηστίαν volo inter nos sanctum esse. Cum hinc abiret nuncius principis vestri, ego non optime valebam: et eram tot scribendis epistolis occupatus, ut sperarem facile mihi condonaturum te silentium esse, et laturum æquo animo, si hoc operæ omissem. De patriæ rebus motuque nemo ad me ne verbum quidem scripsit. Quare te rogo, cum poteris, perscribe totam historiam copiose. Meum scriptum περὶ στάσεως, editur. Id quoque quomodo sit acceptum scire cupio. Tametsi suspicor accidere iam etiam quod scripsit Ennius: Spernitur orator bonus, horridus miles amatur. Ἐββωσο, pridie Bartholomæi (1525).

PHILIPPUS.

XXI. *Joachimus Camerarius Simoni Grynaeo S. P. D.*

Grynæus a Principe Electore Ludovico V impetraverat, ut amico suo Camerario, Norimbergæ scholas habenti, munus professoris Heidelbergensis deferretur. Qua de re Camerarius Grynæo maximas quidem gratias agit, sed paucos dies sibi ad deliberandum explicandumve expostulat.

S. D. Grata mihi fuit opinio illa tua de viva epistola, hoc quidem nomine quod suavissimi hominis, mihiq̃ amicissimi Amantii nostri aspectum confecit: nam per se maxime contraria esset. Cum enim confidam voluntatem erga te meam perspectissimam tibi esse, mihiq̃ sim ipse optimus testis, quantum tibi tribuam, quæque sit de doctrina tua ac eruditione persuasio mea: egone ullius sermones prætulero elegantissimis literis tuis? Neque tibi ignoscere possem, quamvis Amantium misisses, nisi eidem literas ad nos afferendas tradidisses. Sed animi erga te nostri, ut non tibi solum, sed omnibus certissima significatio data esse videtur, studium officiumque efficiet. Tibi quidem ita debemus utrumque, ut hoc quasi ære alieno

perquam gravari nos sentiamus. Amantius invenit nos, ubi minime vellet, in lectulo *μαλακισμένους* : hauseram enim illo die pharmacum. Et hoc tempore non solum quoddam inveteratum malum meum, sed etiam amicorum hortationes prope violentæ adegerunt, ut totum medicinæ me permiserim: Deum oro, ut pro sua benignitate respiciat nos, et facturum confido per Iesum Christum. Et sane toto tempore, quo in hac urbe fui, non admodum firma valetudine usus sum: haud quidem urbis vitio, sed casu. Tuis literis, mi carissime Simon, respondere mihi difficile est: et si ita res tulisset, multo maluissem coram de hoc tecum negotio disputare. Sed cum hoc mihi non permittatur, velim in optimam partem literas nostras accipias: et me, quem amore caritateque, ac etiam studio atque cura summa complexus es, cordi tibi esse patiari, ac in memoria retineas. Tibi gratias ago, ut par est, maximas, qui ad augendum me ac ornandum, quod facere possis, nihil prætermittere videare: quique tuis, nihil enim est certius, prædicationibus, principis vestri benevolentiam et liberalitatem mihi conciliaris: dabiturque a nobis opera, ne vel laboris te tui, vel illum existimationis de me suæ pœniteat. Sed ad rem ipsam quod attinet, utinam liceret tecum coram colloqui. Quod ut propediem, si Deus volet, futurum bona spes est, ita fieri nunc nequit. Dedimus tamen Amantio nostro mandata quædam ad te, quæ interea cognosces. Locum quidem, in quem constituere me vis professionis literariæ, facile ut spero tueri, gerereque hanc provinciam cum aliqua laude possim: etsi admodum debilitatus est negligentia studiorum nostrorum, atque desertione, vigor animi mei. De honore quidem *οὐ μοι μέλει*: sed et hunc, si videatur, sustinere possim. Etiam de stipendio facile convenerimus. Quid igitur restat, inquis? an habemus promissam operam tuam? Primum mi carissime Grynæe, quia, ut supra significavi, in morbo et medicatione iaceo, mea me fides vetat polliceri alteri, quod ipsum penes me non sit. Huius enim corpusculi et ingenioli, quod tu cum laudas, laudatissimus vir est mihi gratissimus, afflictas vires pro integris non debeo proponere. Deinde cum hæc civitas non inhumanum mihi longo sane tempore hospitium præbuerit, minime fuerit mihi honestum contra voluntatem ipsius alio me, ubi quasi lautius accipiar, conferre. Sed noster Amantius, qui pro amore suo mirifico, de nobis magnifice sentit ac loquitur, minoris pendi nos putat quam mereamur, ut hac quoque in parte nihil difficultatis esse videatur. Ego tamen te approbante, conservare famam non modo fidei, verumetiam honestatis cupio: præsertim cum nihilo minus obtinere me, quem tanti penditis, liceat: et sim cum hac opinione, non solum singulari virtute Principi, sed tibi quoque sapientissimo viro multo futurus carior. Concedes igitur mihi paucorum dierum, non quidem ad deliberandum, sed ad explicandum, cum me, tum res meas, ut omnia ordine et recte a nobis fieri, et malevolorum obtrectiones vitari possint. Sive autem hoc concedendum mihi non putabis, seu qua alia fortuna, ut humana sunt incerta et dubia omnia, me vobis eripuerit. Ego tamen, dum vivam, gratitudinem propensionemque animi mei erga principem ac te conservabo et annitar, ut aliis etiam declarem,

in memoriam virtutis illius, ac sapientiæ tuæ. Cum autem pro certo habeam, hæc omnia moveri divino consilio (consciis enim mihi sum, omnem cupiditatem ambitionemque a me abesse, neque unquam ullam affectasse viam ad spem meliorem, quamvis ostensa nonnulla fuerit) ideo mi Grynæe vir optime et sanctissime fac mecum Deum ores, ut totam hanc rem gubernet ipse, et deducat ad gloriam nominis sui, et utilitatem communem, inter quæ non potest male nobis consuli. Reliqua de sermonibus nostris amantissimus utriusque Amantius exponet. Nam multis de causis perturbatiusculo animo, vereor ut hæc non confuse perscripserim. Vale mi charissime Grynæe: meque, ut fecisti semper, et facis, vehementer dilige.

Non. Junii.

JOACH. CAMERAR.

XXII. *Joachimus Camerarius Simoni Grynæo S. P. D.*

Camerarius Tubingæ docens, ex quo tempore Grynæus hanc academiam de integro instituerat (1534), queritur de misera sua condicione et Grynæo mandata dat de lexico, quod apud Valderum edere statuerat. Denique domestica quædam commemorat.

S. Multis nominibus mihi gratissimæ fuere literæ tuæ, ac ne dolose dicam, suavissimo quodam contactu prædicationis tuæ quasi titillarunt animum meum: ego tamen studeo hæc recte interpretari, et referre ad cohortationem nostri, ut in eam partem assiduitatem ac diligentiam operæ conferre velim, in qua ingeniolo nostro aliquid dignum laude effici posse videatur. Quod et feci hactenus, et volente Deo, posthac sum facturus; valdeque lætor consentire tuum iudicium, hominis doctissimi cum nostro. Sed quam multa adversa omnibus temporibus obiecta fuerint voluntati vel potius cupiditati meæ, etiam te non fugere existimo. Neque mihi spes est successus fortunæque melioris. Cum enim animadverto, non iam quæ desertio sit optimarum artium et studiorum humanitatis, qui contemptus, quod fastidium, sed omnino quam hostiles impetus in hæc fiant, quanta sit potentiæ atque opum conspiratio ad illa delenda ac extirpanda, mirabiliter perturbor, mi Grynæe, ac mihi, ut Demosthenes ait, *πολλάκις ἐπελήλυθε φοβεῖσθαι, μήτι δαιμόνιον τὰ πρῶγµατα ἐλαύνῃ*. Nullo est in precio veritas, honestas, doctrina, regnantque falsa, turpitudine, barbaria. Hæc tamen ferri poterant, etsi intolerabilia sunt. Exagitantur illa decora vitæ, gravissimasque pœnas sustinent ob maxima beneficia sua. Nulla vox libera, nulla in dictis factisque constantia, nihil eruditum, non iam dico placet, sed omnino fertur atque admittitur. Sed queri desinamus, præsertim cum ne deplorare quidem tutum sit miserias nostras, quod semper infimis quoque servis licuit. Feramus igitur taciti, et quidem ut ille ait, fortiter, quæ sors tulerit. In quo genere valituras censes vires meas, in eo iampridem sane cœperam illas experiri: sed celeriter me deterruit, cum rei magnitudo, tum inopia omnium ad perficiendam illam necessariorum, valetudinis, ocii, et quod caput esset

sumtuum atque impensarum. Nam et labore præcipuo, et animo aliis curis libero opus videbam esse, et opus hoc non futurum quasi sedentariæ operæ, neque intelligentiæ solitariæ: sed cum multa diversaque in loca veniendum, tum secretiora acta cognoscenda, tum etiam aliorum rationes sententiasque explorandas esse intelligebam, in quamvis mediocri spe præclari eventus. A quibus omnibus cum essem imparatissimus atque egentissimus splendidas has cogitationes censui optimum esse deponere, neque pati veluti evolare, καὶ ἀναδύεσθαι πρὸς ἑμαυτόν, inque humilitate hac quærere, quomodo et vivere et διαλφιδῶσαι τὸν κάρδοπον possem, illamque præsentiam relinquere iis qui et noluissent appetere, et consequi possent. Venio nunc ad alia, de quibus scripsisti. Theonem penes te esse facile patior ¹⁾: metuebam enim ne quid libro accideret cum detrimento fidei meæ. Audio ex Vualderi officina Proclea illa Astronomiæ προγυμνασµῶν exiisse, quæ videre cupimus. Quem virum ita nobis subito, et tam indigna, si fas est dicere, morte peremptum, quantopere, mi Grynæe, contristavit animum meum: sed cum illo bene actum est. De opere τοῦ λεξικοῦ, illi significaram, me nihil posse hoc tempore certi promittere. Neque habeo aliud nunc etiam quicquam, quod scribam, aut pollicear. Sed instituta quædam μερικὰ, ostendi: si vellet, me annisurum ut perficerentur, de quibus initium ad illum aliquando misi, sæpeque repetii, ut augere possem, dum reliqua persequerer: multa enim videbam in mentem mihi ventura, qua tum minus subiissent. Sed hoc Valderus facere neglexit. Nunc igitur mi Grynæe, cum curatoribus rerum illius, hoc ages, ut si profuturum officinæ putent, istum edere libellum, velintque a me absolvi, remittant chartas istas. Tum sedulo incumbam in opus: eritque illorum, si volent, cum fuerit perfectum neque quisquam alius a me auferet. De redemptione autem facile convenietur inter nos, vel te arbitro. Non enim mihi solum laboris, temporisque impendio hoc stabit, sed sumtuum etiam quorundam. Verum de his facilia erunt omnia. Quod si inquam licebit et in maiore opere τοῦ λεξικοῦ versari, illorum quoque idipsum futurum est ²⁾. Nuper apud nos horribile incendium ortum, non solum terruit musas nostras, sed plane etiam lares: subito etenim appropinquarat nobis flammæ vis: quæ sic restincta fuit, ut per nostras ædes aquæ inferrentur. Sed Deus misericordem manum suam obiecit τῷ πονηρῷ. Isque, ut confidimus, posthac etiam nos fideliter proteget. Nos quidem a recenti formidine et tumultuatione paulo adhuc sumus perturbatiusculi, præsertim cum hanc antecesserit turbam alia, καὶ αὐτὴ πάνδεινος, περὶ ἧς γράφειν τι οὐκ ἀσφαλές.

Vale. III. Id. Octob. (1538).

JOACHIMUS.

¹⁾ Quem Grynæus a. 1538 cum Almagesto Ptolemæi edidit, quo anno Valderus quoque mortuus esse videtur.

²⁾ Prodiit hoc lexicon a. 1539 præfatusque est Simon Grynæus. In eius laudem sic scripsit: «Lexicon igitur adolescens hoc Græcum ad summum quantum maxime fieri potest perductum habes. Copiosius et vocibus pluribus refertum nullum extat: comparatu facilius nullum: ad usum accommodatum aptatumque melius nullum: neque tenuitate et obscuritate litterarum molestum futurum.»

XXIII. *Simon Grynaeus Ambrosio Blaurero S. P. D.*

Blaurero Constantiensi, quocum Grynaeus a. 1534 ab Ulrico duce Wirtembergiae arcessebatur, ut doctrinam evangelicam introducerent atque academiam Tubingensem scholastico fimo refertam purgarent meliusque instituerent, quo modo sibi agendum sit, perscribit.

S. Isti boni viri adeo sunt rerum suarum securi, adeoque nihil in causa sua perturbantur, ut ludant nobiscum, coniicere a penultimo responso licet. Hæc cum ita fiunt in re seria, cum ita legati principis tractamur, cogitare potes, hæc tota doctorum gens de nobis quid sentiat, et quid animi gerat. Comperio vix esse unum et alterum in toto Gymnasio benevolum. Itaque impetrandum est a principe, primum et redituum et facultatum omnium Gymnasii ratio redeat ad ipsum: deinde diligenter videndum erit, ex iis quos principi indicavimus nos, quosnam approbare utile sit, ut consilium Gymnasii, quod constare ex professoribus volumus, certa fide sit. Summa, quia inter adversarios haud instrenuos agimus, videndum esse oculate, quid agamus. Mitto responsa illorum, si quid forte ad rem attinere putes, si princeps statim hæc sciat, eo certius liberiusque deinceps cum istis hominibus agere possemus. Vide diligenter, quid opus facto putes. Mihi sic videtur.

Vale (1534).

GRYNAEUS tuus.

XXIV. *Simon Grynaeus Caspari Currero S. P. D.*

Professori cuidam Tubingensi nunciat, si reformatam evangelii doctrinam respuat, Tubingæ amplius docere non posse.

S. Quid sit, quo aula principis tanti relicta, et patrono amplissimo posthabito, privatus doceas, miror vehementer. Equidem non obiicio hæc, nec eo commemoro, quasi fortunæ insultem tuæ: quæ qualis fuerit, scio: qualis porro nunc sit, plane nescio: ac si quod facis, facis constanter, vereque laudo etiam. Hæc eo scribenda esse duxi, ut consilium capias, nisi veteri mutato aliud dudum cepisti. Sic enim arbitror, uti te honesta qualibet conditione istic posse, si cum Evangelio conspires: sin minus, non posse. Ita enim principis sententia est. Cui, utrum inservire possis, statuere tecum potes, et vel pie ista conditione uti, vel prospicienter absistere. Prid. Cal. Nov. Stutgardii (1534).

XXV. Simon Grynaeus egregio Ioanni Oecolampadio suo amico apud Basilienses.

Sententiam suam de cœna Domini Grynæus scriptis mandaverat et Oecolampadio transmiserat, quem hortatur, ne, bono spiritu invito, quicquam in publicum divulget. Grynæus ad Zwinglii et Oecolampadii sententiam prope accedit et id præcipue probare conatus erat, ex scripto quæstionem hanc disputari non posse. A Brentii sententia utpote frigidissima abhorret. Scripta est epistola, ut indicavi in novis ephemerid. Jenens. 1843. N°. 289 sq., anno 1526.

Salve vir egregie. Exposui nuper meam *περὶ τῆς εὐχαριστίας* opinionem, sed ita, ut fortasse tibi et pluribus aliis dubio procul in mentem venire potest. Argumenta sunt plane vulgaria et quæ passim in animis omnium suppullulent, si pro tyrannide loqui dicerer omnibus. Verum enim vero cum negotium totum huius generis sit, ubi nil ratio, nil consuetudo, sed unica illa anchora verbi Dei valere potest, video periculosam esse plane aleam, suam opinionem vulgo prodere, nisi certo verbo Dei nitamur, præcipue hac tempestate, qua propemodum omnia tumultibus et seditionibus alioqui flagrant. Et periculum, ne id quoque ad morbum, vides enim, quam sit res perniciosa, in religione temere novare, nisi τὸν καὶρόν etiam in Evangelii negotio observemus. Proinde te per ipsam hortor pietatem, quæ ad te scripsi, ne mea auctoritate ductus (qua tamen duci plane non potes ut quæ nulla sit, præcipue in hoc negotio) quicquam meo nomine divulges in publicum, nisi certus hic aliquid compereris. Certum autem esse indicabit spiritus tuus bonus. Ego sane, utcunque me executio, nondum plane habeo quid statuam, et ut maxime apud me statuam, nolim tamen illico cuiusquam conscientiae præscribere, id quod propemodum accidit, ubi contumacius et veluti rerum nostrarum certi, contendimus. Age itaque, præstissime vir, consule meæ in Christo imbecillitati et respice plebem Jesu Christi. Docebit te spiritus bonus quid facias. Mea omnis opinio id propemodum agit, ut probet, ex scripto quæstionem hanc disputari non posse. Sunt enim scripta repugnantia, quod si sensum scripturæ requirimus, certe Christus non nisi fide manducatur ¹⁾, postremo cœnæ forma ipsa nihil plane iubere videtur, quale illi dicant, ut ad hæc verba: Hoc est corpus Christi, repetita, verum sit corpus Christi in pane esse, et sunt hæc absque dubio mera somnia atque immodicæ superstitiones, atque hic hærendum puto diligenter, adeoque statum esse disputationis (quandoquidem illi a scripto discedere nolunt) quid iusserit Christus, cum dixit: hoc facite, mihi videtur iubere fieri, quod tum præcepit. Scheda meæ opinionis puto iam est apud Lutherum, ita enim audio Brentium cum suo conciliabulo, quicquid a nobis est Guttenbergæ disputatum, transmisisse Vittembergam, et gaudeo. Est enim Brentii sententia in totum plus quam frigidissima, citra omnem scripturæ sensum nititur verbis rudissimis, ut

¹⁾ Ad explicandam hanc Grynæi de cœna Domini sententiam dabo etiam locum ex epistola eius ad Bonifacium Amerbachium, Lutheri expositionem amplexum, data (Ms. tabularii ecclesiæ Basil.): «In sacra sacramenti nihil potes maius, quam si mysterii huius profunditatem vivis animis metiare. Fides est, qua contingimus cœlestia, et carnem Christi epulamur, quæ res sat scio iam olim sic lucide cernetur, ut nemo pius sit repugnaturus.»

omnibus superstitione quadam agi videatur. Scio non esse discedendum a verbo, sed quid est verba consecrari aliud quam calumnia et superstitio. Sed tu vale. Erasmus omnibus seculis incomparabilem virum quæso mihi quam diligentissime saluta. Faxit Christus, ut is nobis diu sit superstes, unicum patriæ specimen.

Altera Epiphaniæ (1526).

Tuus SIMON GRYNÆUS.

XXVI. *Joannes Oecolampadius Simoni Grynaeo et Martino Frechto, bonas literas Heidelbergae profitentibus, fratribus suis charissimis.*

Oecolampadius hortatur amicos, ne ab officio evangelico desistant.

Gratiam et pacem a Christo. Charissimi in Christo fratres: Benedictus sit Dominus noster qui non solum nos consolatur, et ad sui cognitionem, excaecato huic seculo absconditam introducit, verum et animos addit, et vires, ut et alios consolari, exhortari, et illustrare possitis. Equidem quum tanquam cervus, ab oblatrantibus hinc canibus agiter, cum gratiarum actione, beneficium quod mihi a vobis evenit, non diffitear. Non parum enim per literas vestras exhilaratus sum, et in spem adductus, quod multa millia sibi reservavit Dominus, quæ Baali sua genua non incurvent. Etenim quum tantis minis totus orbis in prophetas Domini insurgat, et alios quidem gladio, vel ferro, vel laqueis, vel igni, vel aqua, vel veneno, vel carceris pædore perimat, quæ tyrannorum crudelitas passim auditur: alios vero fuget, vel munere suo destituat: quid mirum, si nobis etiam inter ministros Christi minimis incidat pusillanimis cogitatio, actum esse cum piis omnibus? Verum ubi literis et colloquiis nos mutuum exhortamur, reprimatur quod infestabat, redditque serenitas. Itaque ab hoc officio, si per ocium licuerit, ne desistamus. Nihil hinc periculi poterit enasci, quandoquidem omnibus idem innocentiae studium. Legistis opinor quæ Suevis respondi, nunc et Byrkaimeri calumniis respondendum ¹⁾. Produnt tandem amici, quinam veri, quive fucati sint. Sed gratiæ Christo, qui pro fucatis sinceriores substituit. Aiunt Lutherum se in nos armasse, et quædam vernaculo sermone vel edidisse, vel editurum: vereor ne tardius liber iste nobis afferatur. Oro si recens exemplar obtingat, curate per Argentinenses fratres afferri. Est autem et aliud quod magnopere rogem, ut Joannem Iacobum Kirsherum, amœnissimi ingenii et insignis pietatis adolescentem, qui mecum ad sesquiannum suavissime vixit, et nunc isthuc iussu patris, ut legibus operam impendat, missus meo quoque nomine commendatum habeatis, quem virtutum literarumque non infelix studium commendat omnibus. Diligo autem illum non mediocriter, et bonorum virorum consuetudine adiuvere velim.

Valete, Basileæ. Anno 26. die Aprilis 20.

¹⁾ De his scriptis cf. *Herzog* das Leben Johannes Oecolampads. I. p. 315. 335.

**XXVII. Joannes Oecolampadius Simoni Grynaeo Graecarum literarum professori,
et pietate et doctrina celebri.**

Quæ ad emendandum ecclesiæ cultum mense Februario a. 1529 Basileæ acciderant, Oecolampadius Grynaeum edocet, professionem literarum Græcarum in universitate instauranda ei offert atque quæ com-
moda quæque condicio eum Basilæ maneat, exponit.

Salutem in Christo. Quæ superioribus diebus hic acciderint, Grynæe doctissime, quum totus orbis norit, ociosum foret loquaculis literis tibi obtundere τὸ ῥεχθέν. Alii utcunque interpretentur, equidem sine numine patris cœlestis minime evenisse, certus sum: ita enim arcano ac miro consilio res humanas temperat, ut curas nostras parum frugiferas et cogitationes insipientes, sua sapientia declaret. Impossibilia possibilia facit: et quorundam temeritate operi pulcherrimo viam struit. Diu, et non sine scandalo, inter Ecclesiastas corrixatum est: nunc uno ore docetur Christus. Ecclesiæ intra mœnia scissæ erant, nunc coniunguntur: idola passim prostabant, nunc cum cultu suo in cineres et voragines terræ conciderunt; nimirum a facie formidinis adventus Domini. Gymnasium literarium negligebatur, nunc illud non modo instaurare, sed nobilitare cogitamus, cupientes cum pietate bonas plantari literas. Atque ob eam causam, bonos eruditosque viros, quotquot alere poterimus, advocamus invitamusque: iustis etiam sumptibus neutiquam parsuri, sed dignis stipendiis incitaturi. Porro quoniam per amicos cognovimus, quo pacto istic res tuæ habeant, et quam non abhorreat a synceritate fidei animus tuus, quæ plerisque concessa non est: unde spei quippiam est, te quoque induci posse, ut huc migres, professione Græcarum literarum functurus. Quod muneris hic obire si non detractabis, dabimus operam, ut non pœnitendo salario hic agere queas, et ampliore, quam ulli professorum hactenus nostri numerarunt. Ita enim mihi de benevolentia Senatus persuadeo. Tribunus plebis, nunc primariæ in hac urbe autoritatis ¹⁾, ante annum cum legatum civitatis nostræ apud Principem vestrum ageret, morum tuorum suavitate, sermonis comitate, ac boni nominis fragrantia, adeo bene erga te affici cœpit, ut nihil non quod honeste poterit, tuo nomine, in tui gratiam facturus sit. Te enim (ut pios omnes) amat ac observat, etiam desiderat: eoque conscio tibi scribo, et per fratres Argentinenses scribi curavi, beatos nos existimans, si te collegam habituri simus. Quam vellem tibi commodum ac integrum esse isthinc solve, et huc advolare. Equidem tametsi minimæ frugis homo sim, si nobis contingeres, nihil omitterem officiorum, quæ ab amicissimo expectantur. Multa sane hic commoda habiturus esses. Cœlum salubre, urbs amœna: plebs nunc per Christum pacis studiosior, ac simplicitatis observantior: typographorum ad manum prompta facilitas, loci claritudo. Nec dubito, quin si laboris non pigeat, nobilium adolescentulorum catervam collecturus sis, e quibus non parum tibi utilitatis. Habuit hoc perpetuo Basilea, ut doctis

¹⁾ Jacobus Meyer.

gratissima fuerit civitas. Quid putas Erasmus hic detinet? Invenisset sane et alibi locorum typographos. At quid te moror multis? Si liberum tibi est Heidelbergam relinquere, et animus huc migrandi, quam primum vel ipse veni, vel literis tuis spem adventus tui nobis facias: et tum de stipendio, de laboribus deque habitaculo tractaturi sumus. Sin minus tibi animo sedet, et addictus es tuis: ne sit grave humanitati tuæ, etiam idipsum significare nobis, ut de alio cogitemus; nam expectabimus, quid tu responsurus sis. Quod obsecro mox facias: poteris sane per Argentinenses, etiam nullo sumptu, certiores nos reddere. Ignosces autem audaciæ meæ, quod hoc mihi permitto, ut tanta abs te petere audeam. Verum excusabit me facile apud tuam sinceritatem, pietas animi tui: qui ut candidus est, non poterit non interpretari in bonam partem, quod in gloriam tuam, citra omnem fraudem agitur. Bene Vale, mi Simon, venique statim: vel quid expectandum nobis, per literas indica.

Basileæ pridie Cal. April. Anno 1529.

XXVIII. Simon Grynaeus Joanni Oecolampadio suo s.

Priusquam Grynaeus Oecolampadii epistolam supra scriptam acciperet, a Bedroto de munere a Basiliensibus ei oblato certior factus erat. Oecolampadio igitur quæ sibi in nova condicione arrideant, quæ deterreant, quo ingenium tendat, exponit.

Scribit ad me Iacobus Bedrotus Pludentinus, Argentinensis professor, amicus meus, datum sibi a Bucero negocium, ut certiores me reddat, conditionem mihi a Basiliensibus offerri, Græce istic prælegendi, liberalem: neque conducturos alium, nisi nolim ego; studium denique illorum erga me vehementer prædicans, monet ut quam ocyssime, quid facere cogitem, rescribam. Equidem, quanquam summa Bedroto apud me fides est, summa etiam inter meos amicos autoritas, ut neque de istis promissis quicquam dubitem, neque communicare illi meam sententiam verear: tamen eam omnem, tibi, quam illi exponere, visum est esse commodius, ne longius ea vel tibi, vel ipsi Senatui foret ex aliis pervestiganda, simulque Bedrotus meus, et Bucerus, et tu ipse quoque, labore hoc toto exoneraremini. Erit id eo facilius, quod alioque scripturus ad te necessario fuero: et *περὶ εὐχαριστίας* quod dudum facere (nimis fortasse magnifice) promisi, meam tibi cognitionem semel universam effusus. Nam illa mihi sententia postquam semel insedit, non solum non commota ab adversariis est, sed magis magisque placet: adeo profecto, ut qui mihi temperaverim hactenus, ne quis me duce eam sequeretur, quod etiam epistola ad te scripta cavi, iam posthac illam profiteri non dubitem. Christus Iesus faxit, ut ne vos vicisse, sed veritas videatur, ac ut in humilitate timoreque Domini sapiamus. De natura humana, quod scribis, corporis dimensionumque rationem obtinere, cupio ut eum locum undique firmissime habeas communitem, ut conscientiae etiam super eam petram

inaedificare tuto possint. Nam cætera omnia consistunt. *Περὶ τρόπων*, quod ἐν μεσημβρίᾳ λύχνον διαζητοῦσι, omnem prorsus apud me fidem in hac causa amittunt. Sed de his satis. Nam scribam alias. Consilium urbis vestræ de schola instauranda ut vehementer probo, sic de me sum vehementer dubius. Christum voco testem, non aliter me tecum de rebus omnibus deliberaturum, quam mecum soleo ipse. Primum omnium, quanquam istud tenuius fortassis est, quam ut rationem habeat ullam, tamen considerandum esse puto, uxori, socrui, affinibus hæc est patria: quorum fortuna, quanquam ita est ut in me respiciat, tamen nescio quo pacto solatio mihi sunt multo maximo, et ego illis (nisi fallor), maiori. Videbor patriam, parentes relinquere ego, isti filium. Verum ut hæc extra negotium sunt, sic minus me movent. In meis viribus, in meo ingenio cardo omnis vertitur. Græca sic didici, ut aliud semper egerim. Si quis exigat, ut Græce loquar, Scythicam a a me linguam exiget. Scribere nunquam tentavi. Intellico quæ lego fortassis magna parte omnia, sed non sine conatu et labore. Summa, rerum quam verborum aut linguæ peritior esse haberique studui semper: neque eius me consilii dum pœnituit. At qui hoc pacto est animatus, vix linguam recte docebit. Accedit illud, quod ætas mea iam huiusmodi est, quæ abhorrere propemodum a docendo incipit. Videtur enim omnino genus hoc totum profitendi suam quandam habere ætatem, dum ostentatio et contentionis calor viget. Supra quicquid est, certum amat, solidumque studium, et rerum cognitione graviore solatium quærit. Excessi ego iam annum tricesimum quartum, miserque mihi videri incipio, nugis posthac si sit opera collocanda. Quanquam nugæ fortassis sunt etiam seria quibus occupamur. Verum rei familiaris necessitas, illa summa, cogit quantum libet infirmitatem conditionem tentare. Atque ut intelligas non ita pridem captum hoc mihi deserendæ professionis huius consilium, libros Galeni dudum omnes comparavi, et in Aristotelis de natura libris ita iam aliquandiu fui occupatus, ut qui serio medicinam sequi, et vitam omnem in pulcherrima rerum illarum cognitione traducere decreverim: non quæstus gratia, Deus novit (sic enim de pectore meo solum testari possum) sed quia gravis illa profitendi ratio, molestaque esse videbatur, et maior omnino quam cui diu præesse possem: et hoc studium simul et pium, et multis utile futurum, et ad vitam reliquam sustinendam satis idoneum putavi, tum ad ingenii mei rationem proxime accedens. Natura enim scrupuliosiore et exacta rerum cognitione gaudeo, et quæ ab ostentatione quam longissime absit. Ad eam rem plurimum educatio illa rustica, et fortunæ tenuitas fecit. Istuc igitur dum animo volvo, relinquere meam illam conditionem cogitabam, et in istis Comitibus quærere patronum aliquem, qui mea mihi studia triennium saltem foveret, aleretque. Sperabam hoc pacto, imo polliceri possem, minime protritam vulgaremque rerum medicarum cognitionem indipisci. Multum refert, quo te ferat ingenium. Sed dum patronum circumspicio, et meam sortem in omnes eventus libro, incredibile est quam me omnis deliberatio hæc habuerit ancipitem. Facit primum

περὶ εὐχαριστίας mihi non amplius dissimulanda sententia, ut locum tutum inter nostrates, quod equidem sciam, nullum habeam, et ut dissimulare illam possim, et me ferre Princeps aliquis possit (quod utrunque tamen video impossibile) tamen aula terret, extra quam egressus quam ingressus est difficilior. Neque vero simul et efficere quod volo, et conditioni pristinae praeesse possum. Ita fit ut patrono habeam opus: et tamen vel qui me ferre, vel quem ego possim, video neminem. Quam calamitatem Christi doctrinae debemus, quae nos undique (Deo gratia) vel eiicit, vel certe excludit. Intelligis ingenium, intelligis animi voluntatem et consilium. Iam illud est quod mirifice mihi ad vos migraturo obstat: Excitandum de novo studium, magna novae scholae expectatio, gravis eorum qui urbe vel pulsi sunt, vel sponte vestro consilio offensi discesserunt, invidia, omnia in me incumbunt; facit etiam periculosa inter ipsos Helvetios dissensio. Quae quidem omnia eadem illa constantia ferenda esse, qua tu tuam fers conditionem, intelligo, si ulla in me istas ad res idonea sit facultas. Exuperior quotidie meas vires, minus quotidie (sic me Deus amet) reperio, quam sperabam ipse, quam tribuant amici. Animo concutior, quoties ad praelegendum accessi. Sunt haec in illa parte. Nunc vide, quae sint in altera. Primum omnium esse, ubi verbo Dei sit locus, percipio, effugere Pharisaeorum consuetudinem vellem, esse tecum vellem, in ista urbe vellem: in ea gente, quae eadem et humanissima, et fortissima semper fuit: neque me ulla res moraretur, nisi me mei ingenii tenuitas, et toties periclitatae vires suaderent, ut ab hoc munere mihi temperarem, ad studium privatum quod me aleret deflecterem. Haec ego nec lucri, nec liberalitatis vestrae tentandae gratia scribo. Sic mihi Christus testis est. Sed ut tuo consilio uterer: cui rem omnem ita committam, ut quicquid tu statuas, id ego quantum omnino licet, sim maxime secuturus. Quod si mihi, literis, sibi, vestra Respublica velit bene consultum, sic ego censeo, ut a tuo consilio nusquam deflectat.

Vale. Heidelbergae, Cal. Aprilib. 29.

**XXIX. Joannes Oecolampadius Simoni Grynaeo Graecarum literarum professori
Heidelbergensi, percharo amico.**

Oecolampadius Grynæi curas humanissime dissolvit et denuo hortatur, ne oblatam condicionem respuat.

Gratia et pax a Christo. Lectis quam diligentissime literis tuis Grynæe dulcissime, quantum exhilaratus sim, quantum gestierim, dicere non possum: spero enim Deum aliqua ex parte votis meis respondere, ut propediem ad nos migres. Nam dum confero, hinc quae te absterrent, et inde quae te invitant: multo amplius momenti in his video si tum, quae te nobis statuant, quam in his, quae a nobis abstrahant. Gaudeo ante omnia, animo te praedito ad divinam vocationem tam facile sequaci, ut nec patriae fines, nec parentum ac amicorum consuetudinem spectes morarive te sinas, si quo vocet Dominus plane spes est, huc te, illo

potissimum iubente, accersiri. Quæ enim certior vocatio, ut quam si illuc, ubi suam gloriam plurimorumque utilitatem per te promoveat inviteris? Minime autem dubito, ut apud exterarum nationes urbs hæc clarissima est et primarii nominis, libera item, et Christo addictissima: ita si tuo in ea officio functurus sis, hinc veritatis puritatem ad multos ubere cum fructu dimanaturam. Est enim non nihil, candelam super candelabrum constitui. Nolim autem te tibi ipsi terrori esse, ut immodica modestia animum tuum sic deicias, quasi huic provinciæ impar sis. Permitte hoc meo et amicorum iudicio, qui non ignorant, quid et quantum a te expectant. Si in te erramus, nostro periculo erremus. Græce cupimus ut prælegas, non iniungemus tibi ad Athenas delicatas legationem. Et proinde haud opus est ut causeris, quod facis. Neque molestum esse debet, quod adhuc ad annos aliquot pauculos in tua professione versandum, quam nos non sordidam, sed longe honestissimam utilissimamque arbitramur, etiam si in ea consensendum sit. Tamesti nec iste animus noster est, ut in pistrinum perpetuum te mittere velimus. Uteremur autem opera tua, donec ex te alia planta felix pullulet, cui lampadem tradas, quæque feliciter succedat. Tunc enim rei Medicæ idoneus futurus esses professor, vel Galenum vel Hippocratem, vel alium insignem ad Græcam veritatem cum iudicio prælecturus. Ita enim eam professionem institui desideramus. Vide an non et hac ratione tuo instituto magis consulatur, quam si patronus privatus quispiam obtingat: quem tamen aegre comperies, quæ nunc potentium in bona ingenia fovenda iniquitas. Minus vero te detineat aes alienum, si quod contraxisti. Loquutus enim sum ea de re Tribuno plebis, viro cordatissimo et pientissimo, qui mihi de his sciscitanti et admonenti, respondit: etiam si floreni 60 vel 70 tuo nomine dinumerandi sint, ut a creditoribus libereris, civitatem nostram non negaturam. Imo hoc tibi certo polliceri possum, si huc migraveris et deinde honestum salarium, ut cum uxore agere possis commode, ut taceam commodum, quod ex convictoribus accedere potest. Deinde non gravet, quod quidam hinc migraverint: nisi fallor, brevi pœnitutine ducentur non parva. Nos illis carere poterimus. Marius et Pelargus, autores malorum et tumultuum, ut aperti hostes Evangelii absunt: de quibus vindicavit me Dominus, cui ultionem permisi. Glareanus etiam ipse maledicentiæ morbo obnoxius, absens, quam præsens utilior erit. Quod si et alii abscedant malevoli, tanto commodius habebit corpus, si ulcera purulentiam omnem excreverint. Nemo hinc vi exactus est: sed quoniam Christum hic regnare dolent, alibi degere malunt. Abiturus est et Erasmus; id facturum nimirum in gratiam Principum, quibus devinctus est. Sed non perpetuo aberit, ut opinor. Verum in illos non respicimus, quandoquidem Academiam novam et feliciorum meditamus. Præterea non tibi soli incumbunt labores omnes: nam et alios collegas in numero iusto instituemus. Utinam autem nunc adesses et bonos viros indicares, quos tibi adiungeremus. Helvetios inter se dissidere, prorsus periculo caret. Potentissimæ civitates confœderatæ sunt ad tuendam Evangelii gloriam:

quæ repugnant, pauciores sunt et longe inferiores agiturque apud illas non tam plebis in Evangelium odio, quam Oligarcharum tyrannide, quæ pœnam certo luet, ubi se aperte Deo opposuerint. Itaque nihil video mi Grynæe, quod te morari debet: imo omnia te potius extimulare debent, ut oblatam conditionem non respuas. Accingere igitur ad iter: spero enim, ubi veneris, pro sententia animi tui cessura omnia. Quod si omnino non licet, fac ut et idipsum quam primum significes. De cæteris coram loquemur, si Deus volet. Is tibi angelos suos comites adiungat. Vale: Basileæ, 11 Aprilis. Salutabis ex me Martinum Frechthum: cui plurimum gratulor, quod Ulmæ Christum pie docturus est. Cui si ad nos migrandi fuisset animus, prospexissem etiam de loco opportuno. Iterum rogo, ne Penelopes telam texas. Ascensurus, oro, ita res tuas componito, ut si res postulet, per nuncium expedire cætera, et singula advehere queas. Scis enim præter alias difficultates, itinera veritatis amicis minus tuta. Atqui Christus deducet, ac tuebitur suos. Iterum Vale cum uxore et omnibus amicis. Nihil decedet ex his, quorum tibi spem facio.

XXX. Joannes Oecolampadius Simoni Grynæo, Græcarum literarum professori apud Heidelbergam, amico singulari.

Oecolampadius Grynæo nunciat, senatus Basiliensis decreto illum professorem Græcarum literarum designatum esse.

Salve in Christo: Mi Grynæe. In tempore venerunt mihi tuæ ad Bedrotum literæ, nos non parum exhilarantes, et quasi de adventu tuo certiores reddentes. Noveris itaque, te Senatus Basiliensis decreto designatum hic professorem Græcarum literarum: id quod factum est 8 die Maii. Missus autem esset ad te tabellio publicus, nisi bona fortuna iam ad iter accinctus Martinus ille noster, obvius fuisset. Itaque hisce meis non minorem, quam publicis literis fidem habeto: et advola quam primum potes. Expectaris enim a nobis magno cum desiderio. Nam ubi veneris, etiam reliqua, quæ ad usum gymnasii pertinent, ordinabimus, si quo pacto instaurare valeamus. Sicut superioribus literis scripsi, quo commodius hic vivere possis, honestum salarium tibi constitutum est. Et ad futuras nundinas Frankfordienses creditoribus tuis quinquaginta floreni dinumerabuntur. Prospiciemus etiam de domo tuis studiis apta. Itaque eam conditionem ne respuito: labores tolerabiles erunt, periculorum nihil: ubi adveneris, digna nominis expectatio, iucundus fratrum convictus. Cave arrogantior Norenbergam Basileæ simpliciiori prætuleris. Hic et pietati et musis locus sanctior est. Funes ne ablaquees, sed deseces rumpeque moras omnes. Vale. Cætera Martinus. Agam omnia tuo nomine, quasi res meæ essent. Iterum vale, Basileæ 10 Maii. Supervenerunt obsignaturo et aliæ tuæ literæ per Bucerum, quibus sumptum, quem petis, indicas: de hoc scias nihil tibi adimendum, sed adiiciendum potius. Veni igitur, hic domicilium habiturus. Vale iterum. Phrygio collega, qui literas reddidit, te salutat.

XXXI. *Wolfgango Fabricio Capitoni Simon Grynaeus Salutem.*

Clarissima narratio de obitu Oecolampadii.

De Oecolampadii nostri viri innocentissimi obitu horribilem apud exteros famam vagari, quasi vel suis ipsius, vel suorum certe manibus clam peremptus sit, eamque scriptis quorundam æditis confirmari et vulgo mortalibus, qui longius hinc degunt, persuaderi, multorum iam sæpe ad vos e Gallia partim, aliunde literis significatum esse scribis: hortarisque, ut qui rebus omnibus interfui, ac diligentius etiam cæteris singula notavi, quique extremum halitum illius legi, atque oculos amici clausi, pro ea coniunctione, quæ mihi cum eo semper fuit, non supervacuum, sed necessarium iam propemodum officium charissimi viri manibus exhibeam et suspicione gravi piorum animos liberem, simul os scelestum calumniatoribus istis fide digna narratione obturem: quo fructus, quem boni ex ipsius libris ceperunt hactenus, maior deinde certiorque ad ipsos redeat ac tot tamque egregia monimenta ab impiorum sacrilegis vocibus vindicentur. Ego vero, mi Capito, tametsi nunquam mihi, Deo gratia, aut studium defuit veritatis tuendæ, aut zelus, iustusque dolor, mendacia tam portentosa præsertim proscindendi: tamen quia hanc aleam bonorum omnium communem videbam, ut non solum præsentis vivique summum malorum odium incurrerent, sed extincti diris insuper omnibus devorarentur, dissimulandos in Domino totum id genus insanos adversariorum clamores semper iudicabam, ne quis ambitiose magis, quam necessarie fieri diceret, si viri multis quidem præclaris rebus egregii fama et nomine defendendo, vel paululum nobis indulgissemus. Itaque ne quisque in ista ecclesiæ acerbissima dissensione quicquam in nobis desideraret, cum multi sæpe hortarentur, qui vitam ipsius literis mandarem, illustrem testatamque satis ipsius libris putans, nec de vita, nec de morte, quem et vixisse et mortuum esse sanctissime scimus, scribere quicquam in animum hoc quidem tempore prius induxi, quam novo temeritatis et sacrilegii exemplo, lingua maledicorum scelestæ, in hanc necessitatem vel invitos nos adegisset. At quid istuc esse, mi Capito, aut quonam pacto fieri dicemus, ut quæ res in urbe celeberrima maximeque consciis et videntibus tot mortalibus gesta non subito, sed longa mora est, ea non solum in dubium verti, sed in diversum plane ab inimicis rapi potuerit: ut qui pientissime vitæ suæ finem cum summo bonorum omnium dolore clausit, is per summum scelus effudisse animam summa bonorum omnium execratione dicatur, ac cuius singularis per omnem vitam fuit animi lenitas, is dira manu ferocem luctantemque spiritum nefarie prorupisse audacissimorum hominum literis prodatur. Tanta ne quisquam vecordia est, tam præcipiti invidia, tam atroci odio, tam crudeliter ut vulnerare famam cuiusquam possit? tam dire, tam sacrilege in innocentis viri manes grassari? Imo vero sic fato, sic natura rerum fit. Nunquam sol ille iustitiæ exortus in hunc tam oppressum caliginosis nubibus mundum est, quin atra

semper tempestas, sævi semper turbines undequaque momento consurgerent, quin horribiles nymbi cœlo toto incumberent et Christi membris extrema omnia minarentur, quin ira rabida, livor ferrugineus omnia invaderent, quin impotentes calumniæ omnia miscerent. Quæ mala, quam fortibus animis in patientiam et crucem Christi vere compositis ferre contemnereque de-
cet, tam dissimulandum mendacium sacrilegum aut certe veritas destituenda non est. Nos igitur, quia rebus omnibus interfuimus, de morte viri optimi, ut habet, verbis paucis, fide certissima, simul et calumniatoribus istis et piorum studiis respondeamus et testimonium innocentiae ne denegemus, par est. Anno igitur quam mortuus est integro, cum valetudine firma nunquam fuisset minus, negotiis gravioribus, aut sollicitudine maiore obrutus nunquam fuit. Nam et repressa haud ita pridem scabies, quæ tempore eodem magna vi toto corpore eruperat, membris omnibus oberrans, tot annorum æternis lucubrationibus exhaustas vires mirabiliter affligebat: et non solum quomodo progressum iam aliquousque Evangelium, fructus certiores maioresque redderet, sed inter gliscentia bella civilia et sectas alias ex aliis pullulantes. ut ne officio suo usquam deesset, cura incredibilis sollicitabat. Itaque pro summa temporum difficultate, vigiliis, labores, cum essent maximi, omnia intendere, ditionem universam Ecclesiae suæ suis pedibus circuire, cohortari diligenter non suos tantum, sed et adversarios, non semel etiam cum vitæ discrimine graviter et acerbe castigare et in viam reducere: severitate summa, summa fide in omnia incumbere. Quin etiam testamentum utrunque, quod antea per vices cum altero professore Theologo prælegebatur a principio exorsus, speciosam rem, nova et vetera, summa doctrinæ sacræ, summa linguæ utriusque Græcæ et Hebrææ noticia, egregius verusque Christi Episcopus, scientissime inter omnia privata et publica alioqui negotia, inter conciones perpetuas, optima quotidie cum fide promebat. Tot res difficillimas, tempore eodem, vir unus summa animi tolerantia, plusquam annum integrum sustinuit: morbum haud minore cum molestia in membris tum fluctuantem, quam postea erupit: duarum idque peregrinarum linguarum interpretationem, nihil hic attinet dicere qualem: Theophylacti, Cyrilli et Chrysostomi pleraque opera, quanquam inter excudendum per summam festinationem reddita, satis docent: scripturæ sacræ non qua obvia et exposita, sed qua retrusa maxime fuit, explicationem: quod in Esaiam, Haggenum, Zachariam, Malachiam, Danielelem, Iobum, Hieremiam, Ezechielem, ad Romanos Epistolam, ad Hebræos, ac Iohannis Evangelium, canonicam, amplissima luculentissimaque commentaria intra paucos annos elucubrata, clarissime testantur: postremo, concionandi munus haud unquam interea prætermisum: negotia privata taceo et ad Ecclesias innumera quotidie responsa. Ipse cum labores immensos mirarer, sæpeque interveniens repræhenderem, ac hisce parem esse negarem, hortatus accurate sæpenumero sum, qui modum negotiis faceret, summis se tantum temporibus impartiret servaretque. Verum is urgente fato sic properabat, sic maturabat omnia, ut qui procul hinc prorsusque migrandi diem instare,

scire certo videretur. Iam infelici bello Helvetia efflagrabat, *Zwinglius* fortissimus restituen-
dæ apud suos innocentiae adsertor, et sedulus Evangelicæ synceritatis vindex, ceciderat, con-
ditiones pacis bonis vereque religiosis hominibus admodum graves coiverant, adversis rebus
et casu subito animi omnium fracti sternebantur, cum seu lue pestifera, quæ per urbem tum et
in ipsius etiam domo grassabatur, seu repullulante et vim intus concipiente scabie, ulcus su-
per os sacrum, qua compages membrorum omnium est, primum exeruit sese, mox auctis
ignibus corpus totum mirabiliter inflammavit. Anthracem fuisse non est dubium. Lividus co-
lor ac infestus, vis ardoris intoleranda. Inter tot incommoda privata et publica, nondum ille
aut concionari aut prælegere aut lucubrari desiit: sed ceu fortis ille miles omni tolerantiae
genere duratus, in ista sua statione assidue hærebat: tantisper, dum vi morbi compulsus, domi
se continere, negocia ponere, decumbereque coactus est. Continuo aderamus amici et Medico
primum, mox Chirurgo accitis, de morbi genere rationeque disputabamus. Medicus, quod
res erat, seu morbi ingenio, seu corporis imbecillitate perpensa, iam tum a principio non
satis polliceri videbatur. Verum ubi omnia considerasset, ea via rem aggressus est, qua
ope summa niti posse credebat. Ac dies iam unus alterque abiit, cum arte compositus ca-
lor paululum et ulcus iam ad maturitatem perductum interspirare ab ignibus istis sinerent, et
spem nobis omnibus certam præberent. Ille quanquam haud ægre officia admitteret in sese
amicorum, nunquam tamen non facessere sedulitatem nostram: iubere, ac fatalem esse
morbum monere desiit. Interea quantum amicorum in urbe fuit, ordinum quidem omnium,
de Senatu vero optimus quisque vir diligentissime adesse, omnia facere, benevolentiam et
promptitudinem summam ostendere. Quin et Senatu edictum fuit, qui summa Medicorum
fide advigilaretur. Inde vero in urbem fratres piique omnes advolare, noctam totam iuxta
vigilare. Itaque cum limen huius antea frequens fuisset semper, fuerat nunquam frequentius.
Stabat morbus et dies octavus præterierat erantque Medicorum non eadem plane sententiæ,
tametsi studium, sedulitas et fides par fuit, quippe qui et amici adessent. Tentata omnia
sunt, verum invitis pertinacissimum malum vicit. Tamesti non morbi pertinacia magis vinci
se Medicus, qui urbis ordinarius primus est, fatebatur, quam corporis imbecillitate, viribus
suis iam dudum exhaustis. Nam nec fluere ulcus, ut cœperat, sed cursum intro revocare, nec
ægritudo remittere, extincto iam calore, sed circa præcordia intendi, etiam caput iam vehe-
mentissime turbari. Ibi nova ope Medicus niti (uni enim iam res commissa fuit) industriam
omnem advocare. Rursus igitur restituta vis, rursus spes nobis aliqua, ac certa propemodum
illuxit. Quippe signum ut videbatur, clarissimum victrix natura extulerat, in dextrum latus
repente tumidum exulceratumque morbo exturbato, et ingenti circum præcordia phlegmatum
vi subito concepta, resonanteque et large exundante. Verum hæc, ut patuit postea, luctantis
naturæ virtus extrema fuit. Nam haud multo post tremere cor, rigere oculi, membra omnia

deficere cœperunt, penitusque superare morbus. Medicus animum iam despondere, mœsti spem omnem abiicere. Ille qui dudum ad hanc luctam animis se totis compararat et hunc diem cupide expetiverat, non expectare consolationem nostram sed prior ultroque nos consolari. Igitur ministris Evangelii verbique sociis et Ecclesiæ primoribus advocatis, oratione huiusmodi usus est. Quid sit, videtis fratres: Adest Dominus, venit, hinc iam nos abducit. Quæ cum ita sint, vocare vos prius volui et hanc animam cum charissimis vera in Dominum læticia vera consolatione exatiare. Quid igitur servi Christi, quos idem erga Dominum suum amor, studium idem, doctrina eadem coniunctissime copulavit in extremo complexu dicemus? Parta salus, parta per Christum omnis regni Dei fiducia est, doctrina certa, pedibus nostris lux parta. Abesse procul omnem tristitiam, omnem vitæ mortisque metum, omnem dubitationem et errorem decet. Solum hoc fratres est reliquum, hoc solum superest fratres, ut Christi vestigiis, quæ dudum ingressi sumus, constanter fideliterque insistamus, doctrinæ puritate primum intacta, vita deinde per omnia vivo Dei verbo conformata. Cætera, qui potens est, quique sponte vigilat sua, Christus Dominus curabit, Ecclesiam suam tuebitur. Agite igitur o fratres, sic luceat lux vestra, ut in nobis glorificetur pater Deus, illustre Christi nomen conspicuumque luce vitæ et sinceritatis vestræ fiat. Agite diligite inter vos vere, vitam hanc in oculis, in conspectu Dei totam traducite. Frustra verbis pietas inculcatur, veritate et luce vitæ opus est, veroque et cœlesti mentis spiritu, si fundere Sathanam, si convertere in Dominum Christum, mundum hunc præsertim velimus. Nam quæ surgunt, o fratres, nebulae, quæ se tempestas ingerit, quæ hominum alienatio, quæ impietas incumbit? Sed stare fratres, durareque oportet: præsens ipse suis rebus aderit Dominus. O si pericula una subire, hanc animam pro veritate sæpe effundere liceat. Sed licet, indivisus amor est, et indissolubile in Christo vinculum, communia piis omnia inter sese. Hæc ita de pietatis communi causa. De sua sic paucis: Corruptæ veritatis scelus, quod nobis imputatur, inquit, nil moror. Subeo iam bona per gratiam Dei conscientia tribunal Christi: hic liquidum erit, Ecclesiam per nos non esse seductam. Cuius quidem sententiæ contestationisque nostræ testes vos relinquo et ipse hoc extremo spiritu confirmo. Sic dixit, fratres operam dare. Ecclesiæ curam suscipere dextris datis promittebant. Postridie quæ iam quindecima dies fuit ex quo decubuit, liberos in conspectum adduci, coramque sisti iussit, ac dextras primum prehendit, deinde capita singulorum demulsit. Ac quanquam nihil horum per ætatem intelligere poterant, quippe trimulus maximus natus erat: Agite, inquit, tu Eusebi, tu Irena, tu Alethæa, mea pignora, patrem Deum diligatis. Annuente pro pueris matre, ad ipsam socrumque et cognatos conversus: Vos inquit, hac contestatione obstrinxi, vos quod audiunt, quodque esse volui, pii, pacifici, veraces mei liberi ut sint, operam dabit. Cum rursus annuerent promitterentque omnes, velut fide accepta, abduci

rursus e conspectu iussit. Erat postrema ea nox. Aderamus fratres omnes, paucula quædam dixit, cætera quietus. Redeuntem quendam per amicum sibi cum rogaret, quid attulisset novi, et ille respondisset, nihil: At ego tibi dicam, inquit nova. Expectabant, quid esset: Brevi, inquit, ero apud Christum Dominum. Paulo post cum ecquid lumine offenderetur, rogarent: pectus tangens, abunde lucis est, inquit. Iam aurora appetebat, et oriri sol, rebusque inferri, et humana respicere festinabat, cum viro optimo fatalis hora instaret. Postrema fuit oratio, quam quidem volvere clare lingua anhela posset, peccatis deprecatio illa Davidis celeberrima, quam integram a principio ad finem, vir Dei, ductis imo pectore piis gemitibus palam omnibus peregit. Paululum deinde intercessit moræ, et velut respiratio, cum rursus tanquam expergefactus orationemque instaurans: Salva me Christe Iesu, inquit. Ultima hæc vox fuit, quam os illud venerandum et pium caput edidit. Decem fratres aderamus, in genua circum lectulum devoluti, sublati omnes in cælum manibus Dominum obtestantes. Iam prorsus illuxerat, iam sol horizonta nostrum plane contigerat, cum spiritum vir optimus redderet creatori Deo, tanta animi per omnia lenitate, tam certa in Christum Dominum fiducia, ut pii omnes ex obitu et illustri exemplo consolationem perceperint, non minus quam e vita. Sic Oecolampadius ultimum vitæ huius actum clausit, qui per omnem, quam vixit ætatem se gessisset innocentissime. Me equidem, quæ *αὐτόπτης* una cum aliis fide dignissimis coram vidi, cum dissimulare adeoque veritati denegare testimonium nefas duxi, ea potissimum urgente causa, cuius initio commemini. Pervelim autem, ut tu Capito frater, quo imprimis autore, quicquid id est, ad te dedi, vitæ ipsius summam perstringas. Nam te non fugit, opinor, quantum in his momenti sit, pietatis studiosos non tam in Domino mirifice oblectandi, quam etiam ad pie æmulandum potenter extimulandi. Abs te vero id non temere mihi videor exigere: alium enim, qui istuc maiori fide possit arbitror esse neminem, posteaquam inter vos a multis annis tam arcta fuit consuetudo. Quo igitur officio gratiam non vulgarem apud optimos quosque potes inire, eadem ipse mihi addubito, quin meo hortatu, quantum benevolentiae suæ opes in viro isto seculorum memoria digno Deus ostentare voluerit, orbi sis et lubens et serio testaturus. Vale.

XXXII. *Simon Grynaeus Martino Frechto amico suo s.*

Oecolampadii exegemata in Iobum post inopinatam viri præstantissimi mortem (24 Nov. 1531) Grynaeus apud Henricum Petrum edidit atque hac præfatione instruxit, qua simplicitatem eius iusta laude celebrat.

Habes Oecolampadii nostri, pii doctoris, in Iobum, id est gravibus profundisque sententiis plenum opus, lucubrationes: quas utinam licuisset ipsi diligentius retractatas sub incudem

dare ¹⁾. Nunc quia morte interceptus est, non sumus passi perire tam pium opus. Solebat enim quæ in interpretatione librorum sacrorum ad præsentem tantum usum annotasset seponere tantisper, mox occasionem nactus revocare, et si ita videretur, longius transmittere: non qui excoleret et ea tum magis, quod ei nunquam sane studio fuit, sed qui repurgaret tumultuarie ab se congesta. Id ex eo videre est, quod concionum quam commentariorum similiores sunt, quascunque generis huius edidit, lucubrationes: et ad pium magis quam eruditum lectorem destinatæ. Quanquam enim peritissimus linguarum fuit, et inire gratiam etiam a spendidioris illius doctrinæ sectatoribus potuit, ingenio luculentissimo et usu literarum maximo nihil non facile suppeditante: tamen ut vitam, sic orationem ea industria sectatus est ab omni ambitione semper alienam, studuitque quicquid vel ingenii vel doctrinæ fuit, impendere suscitando apud simplices nomini Christi potius, quam suo apud paucos illustrando: et palmæ, quam ex illis literarum studiis consequi poterat statim ut Evangelium veramque Philosophiam divini ingenii vir sagacissimus naribus olfecit, ita valedixit semel, ut nunquam deinceps reliquarum literarum facultate aliter quam instrumento plantandæ pietatis sit usus. Quod idcirco dico, quia quosdam genus hoc orationis offendit, simplex et omni fastu carens: cui vita tam fuit similis, quam est ovum ovo. De ea scribendum esset necne, diu mecum cogitavi. Pii æque vitam ac scripta norunt. Malevoli oderunt æque utrumque, neutro commoventur. Iam invidia seculi sui, quæ optimum quenque virum persequi maxime solet, aut gratia etiam facit ut superstitute fama, et gloria adhuc recente nec æstimari syncere scripta, nec in exemplum trahi utiliter vita possit: dum pro suo quisque studio utrumque vel deprimit vel tollit plus æquo. Quanquam haud sciam, an laudari satis exemplum tam rarum possit. Accedit illud etiam, quod quum vivos vitæ suæ testes tot mortales habeat et unusquisque ex ea consuetudine iudicet, qua iam olim cum illo convixit, multorum reprehensionem incurret necessario, quisquis vere scribere vitam huius volet. Nam quod præclare de Socrate dictum est, et tu de illo nostro ad me nuper, apte meo quidem iudicio scripsisti, Sylenis similem esse, haud scio an in ullum mortalem competat magis: adeo non erat facile aut cuiusvis, sublimitatem animi ingentem ex ista tam humili et orationis et vitæ specie existimare. Illud postremo omnium maxime obstare videtur, quod exusceratis adhuc rebus, et animis omnium fere contentione ferventibus, plures invenias qui pium opus (quid enim merito tot nominibus de nobis viro gratiam aliquam referre vetet?) in aliam longe sententiam interpretentur. At quo me quidem attinet, quanquam

¹⁾ De his lucubrationibus Oecolompadius ipse Martino Frechto et Cunhardo Somio, ecclesiastis Ulmensibus, die 8. Novemb. 1534 sic scripserat: «Ego his diebus commentarios meos in Iobum absolutos typographo tradidi, qui opinor non frustra post alios legi poterunt. Non ingratos fore arbitror, si eos Ecclesiæ vestræ consecraro. Nam si nihil aliud, certe animi mei optime erga vos affecti testes. Quod si Ecclesiæ vestræ præindicationem vel in minimo iudicaveritis nuncupationem istam, oro indicetis circa Natalem Dominicum. Præfationes enim tardius excuduntur et dabo operam, ne onerosus sim.» (Oecolampadii et Zwinglii epistol. fol. 212.)

hæc ita esse video et quanquam abesse ab omni contentione studeam procul, et quam minime offendere multos, tum etiam quanquam minimum accedere nomini viri tanti per me potest, tamen sicubi dabitur, non gravabor quæ mihi ipsi comperta sunt de eius vita et moribus scribere. Sic enim iudico, aut me prorsus omne iudicium fallit, difficillimum in vita exemplum post se virum hunc studiosis omnibus reliquisse. Nam quum et præceptoribus optimis, quoscunque Germania nostra tum habebat, usus fuisset, et sociis studiorum iis, quorum etiam hodie nomina præcipue celebrantur, ac illorum quidem authoritate accendi, horum æmulatione inflammari ad contentionem gloriæ potuisset, præsertim postquam eo promoverat doctrinæ, ut cum quovis doctissimo certare posset, et eo pervenerat famæ, ut non ambigua iam palma videretur: tamen ita vixit, ratione vitæ semel confirmata, ut nihil horum vel iam olim unquam quæsivisse, vel tunc meditari, nedum venditare, aut iis fidere velle quam facillime intelligeretur. Sed de iis suo, quemadmodum dixi, loco. Supersunt enim in Ezechielem, Hieremiam, et alios præterea quosdam Scripturæ locos commentaria, quæ non ita multo post cum ipsius vita emitteremus. Interea, mi Martine, vale, et virum cuius vitam miratus es vehementer, factis imitare, Spartam tam præclaram illustrandæ patriæ tuæ nactus.

Basileæ XXIII Februarii Anno M. D. XXXII.

XXXIII. *Simon Grynaeus Zwinglio.*

Grynæus cum Zwinglio amicitiam contrahens de animo virorum quorundam doctorum sibi infesto conqueritur deque ratione studiorum suorum exponit.

Salve. Recte amanterque scribis, mones omnia. Dolet autem ea de re, qua minime volebam, cum te primum compellavi, fuisse agendum, cum gratiam inire potius apud te et amicitiam instituere, et tuo colloquio frui multo etiam ante in animum iuduxissem, quod consilium meum recens tum dolor, quem ex ista sive suspicione sive calumnia conceperam, universum inturbabat. Equidem quid de me etiamnum sentiant statuante, etiamsi vehementer curem, deprehendere tamen non possum, ita enim vivimus, ut rem sibi quisque suam agat, et ego extra illorum album sim totus, etiam extra congressus et colloquia, nisi ubi casus nos et fortuna coniunxit, quæ mihi res nunquam venit antea usui, ubicunque enim gentium fui, ultro me homines, docti etiam (dicam sine arrogantia) allexerunt. Isti sive nimis docti, sive nimis indocti, sive quod suspicor, nascenti doctrinæ nimis intenti, negligunt me magna parte, aut fortasse negligi se putant. Quicquid est, quia huc appuli, neminem mortalem, sed veritatem ex amini conscientia, quam isthic profiteri non licuisset, secutus. Perferre omnia, dum officio meo fungar, volo. Sed hæc hactenus. De adhibendo

studiis modo sapienter indicas. Tametsi enim otio mirifice oblector, et in laboribus peragendis, æquus sum mihi satis, tamen magis magisque quotidie, fervor et impetus animi, ut in rebus ceteris, ita in studiis literarum, quam inutilis sit et fallax. Nec se enim respicit, nec quod propositum negotium habet, tantum explere votum, nullo nec ordine, nec ratione, nec modo adhibito, festinant, cum in oppugnandis literis, quarum immensa quædam sylva est, et innumerabilibus ambagibus implicata, prospicientia et moderatione summa vel maxime sit opus. Itaque quoties animi mei ingenium, et tempus peractum et instituti cursus, spatia inquam conficienda, cogitavi, vita acerba esse incipit, in ista præsentis temporum iniquitate. Tantum consolatur, quod crescere studia, et pulchre augeri patriam, rebus humano generi maxime expetendis video, omnibus etiam invitis. Itaque sustinere animum per omnes difficultates, quoaduscunque ille me sustinet, decrevi. Erit autem mihi magno solatio, si literis interdum (nam crebro nefas sese video) me tuis solere. Interea vale et vive nobis diu vir egregie.

Basileæ 5. Iulii 1529.

SIMON tuus GRYNÆUS.

XXXIV. *Praestanti viro Domino Huldrico Zwinglio patrono suo.*

Grynæus commendat Zwinglio Carolstadium Basilia Turicum abeuntem.

Prædicat non ignotam mihi humanitatem tuam, præstantissime vir, Andreas Carolstadius, et quem antea multis nominibus colebam, facit ut nunc te amem magis, magis admirer. Præclare facis, cum in instauranda Dei et veræ sapientiæ schola et doctrina renovanda, fortis dux in acie ipsa collocatus non sapientia solum tua, sed veris virtutibus, et vivo exemplo, tot mortales in te conversos provocas. Nihil adulator tibi, nihil enim, dum hæc scribo, ultra quam decet, attribuo. Nec tu, cum ista, quanquam præclare facis, amplius quam te decet, facis. Sic locus est, in quem te Dominus collocavit, ut nihil non admirabiliter, i. e. ultra quam hodiernorum hominum mores et studia ferunt, facere conveniat te. Et quanquam non est istuc virium mearum, qui de tuis laudibus et virtutibus dicam, nec istud institui nunc, tamen non possum quin laudem, quod viri, quem multæ nobis res non eiiciendum esse hortantur, rationem habere pergis. Quo abeat enim, si istic nullus fuerit locus? porro ne pergat, ad ipsos hostes, an convertat pedem; turpe erit hoc ipsi quidem, sed multo tamen turpissimum nobis. Causam intelligis tu quidem rectius, quam ego narrare possum. Itaque res propemodum postulat, ut apud vos subsistat, non hoc dico, qui non videam, id iam prius a nobis etiam officii requiri potuisse, sed excusabit fortasse tamen, quod nescio quo pacto natura simus cunctatiores omnes, quam diu ad extrema non est ventum, et caritas semper bene sibi pollicetur. Hi, a quibus ad nos venit, maiori apud nos in pretio futurum sperabant. Sperabamus nos quoque vos quid speretis, cui deinceps fiduciam istam committatis, iam ultra nemo

est. Satis, inquires, argutus es, dum ableges hospitem. Ego vero, præstantissime vir, illum esse apud me cupiam perpetuo, nec dubitarim huius fortunam iniquiorem quam malam, mea tenuitate perpetuo sustinere, si vel huius pudor vel tua beneficentia et humanitas permisisset. Nunc cum honeste abs te videam vocatum, dimitto libenter, et hoc nomine felicem ego puto, cui liceat apud te versari et tua consuetudine opportune uti. Commendo vero tibi virum, commendo me ipsum. Si quid est porro, quod studio et summo conatu afferri a me ad eam gratiam et amicitiam, in quam semel receptus sum abs te, potest, istuc ego quidem et manibus et pedibus enixe semper operam dabo. Vale et vive nobis diu, præclare vir.

Sine consule et die (circa 17 Jun. 1550).

SIMON tuus GRYNÆUS.

XXXV. *Simon Grynaeus Zwinglio.*

Agitur de divortio Henrici VIII, regis Angliæ.

Salutem. Rursus venio ad te, ita flagitat res ipsa. Nollem ego profecto alioqui molestus esse tibi. Est autem huiusmodi. Responsum tuum, quod me plane recreavit, et in cuius sententiam manibus et pedibus ivi, non ego solum, sed et Oecolampadius noster (sic enim dudum flagitabant) transmisi ¹⁾. Scrupulus illis adhuc superest aliquis. Obiicit enim Bucerus exempla sanctorum. Verba adeo ipsius subscribam. «Quod ex more olim, et lege Dei, sancti fecerunt, inquit, honestati per se, ac ideo semper, ac in uno quolibet, non pugnat, et dum caussæ pares sunt illis, ob quas tale quid olim recte factum est, potest et hodie id recte fieri.» Idem alio loco: «Videntur nobis, inquit, hæ rationes in eo παραλογίζεσθαι, quod ex eo quod simpliciter est (in hisce autem rebus ἐπὶ πολὺ simpliciter et reale est) argumenta ducunt ad id, quod secundum quid est. Naturæ tales nuptiæ pugnant ἐπὶ πολὺ, at non in quovis casu, eo igitur concedendæ nimirum, nec tamen nisi urgeret ingens causa et publica, concedam. De contractis autem semper aliud quam contrahendis nuptiis iudicium fuit, et merito, cum sit res summe pugnans cum naturæ honestate divortium.» Adiunxi tibi epistolam Capitonis de eadem re, item meam ad Bucerum, quibus argumenta hæc conatus sum dissolvere. Res est plane in qua absque gravissimo iudicio tuo constitui, firmum saltem, nihil potest. Itaque non feres moleste, cum te toties negotiis tam gravibus occupatum infesto. Eodem momento Argentinam scripsi. Saluta mihi viros isthic egregios omnes, suavissima humanitate præditos.

Tuus SIMON GRYNÆUS.

¹⁾ Fratribus Argentinensibus.

XXXVI. Osw. Myconius Simoni Grynaeo.

De conatibus ad concordiam evangelicam Lutherique responso Grynæum apud Suevos absentem certiorrem facit. Exstat epistola inter Mss. apogr. bibl. publicæ Basil. N°. 26.

S. Binas literas accepi abs te, Grynæe charissime, quibus quantum sim oblectatus, imo quantum inde sim exhilaratus, non facile scripserim. Continuerunt priores enim, quod imprimis non ego solum, sed et fratres mei concupiverant. Posteriores nos et de te et de rebus Wirtenbergensibus circa negotium evangelicum instruxerunt abunde. Quamobrem ago et habeo gratias tibi immortales, oramus, ut ita pergas quoties licebit per ocium et citra tædium; nam præter voluptatem, quisnam insit usus, tu ipse perpendis facillime. Argentinienses nondum quicquam rescripserunt; timeo ne parent librum, quod quidem si fieret, quid aliud quam nos contemnerent, ut qui docere quod nos tamdiu recte per Dei gratiam docuimus, conarentur. Satis fuerit nobis sic instrui, quemadmodum factum est a te sæpissime inque literis, non quod nolimus doceri, sed quod in hoc negotio Deo gratia opus non sit. Divino, non pro certo scribo, cur divinam autem, dilatio rescribendi in causa est. Cæterum fratribus quæ iussisti, diligenter commendavi. Receperunt ita se facturos. Carolostadius etsi nihil contradixit, non tamen ea visus est esse alacritate, qua cæteri. Quamvis nihil verear tum aliquando refragaturum, equidem tantum dico et apud te quidem, quo modo nunc se gesserit. Magis autem timeo ne frustra laborent quidam de concordia propter Lutherum; tam ini- que se nuper gessit verbis contra tabellarium, cui literas commiserat ad illum Pellicanus. Hic enim dum salutavit et dogmatum Tigurinorum meminit ac ad amicitiam invitavit, ille respondit, non Pellicano, sed tabellario doctiorem se esse, quam qui ab eiusmodi hominibus doceri velit. Hoc verbi satis detestari non possum; habet meo quidem iudicio plus quam tyrannicam superbiam. Deus, quæso, nostri misereatur. Sed de his hactenus. Quod attinet ad Christophorum, qui has tibi reddit, rogo commendatum habeas, si quid poteris. Commenda- bis ut hominem bonum modestum et mire laboriosum; non enim dubito, quin hoc si feceris non parum sis illi commendaturum. Negotium ipsemet suum detegit. Fac ut intelligat, me aliquid apud te confecisse. Vale per dominum Iesum. Basileæ VIII. Novemb. anno XXXIII. Salutant te fratres mei omnes et tota domus mea. OS. MYCONIUS totus tuus.

XXXVII. Grynaeus Calvino et Farello s.

Grynæus, falsis rumoribus de Calvini doctrina deceptus, hortatur amicos, ut pro viribus labantem ecclesiam tueantur.

Oro vos per Dominum ut nos primo quoque tempore liberetis solitudine ingenti de rebus omnibus scribendo. Spero in Dominum Christum vos Christiana lenitate ac humilitate

omnes adversarios superaturos, et omnem etiam occasionem vestri Evangelii calumniandi hostibus adepturos. O scintillantes igne Satanæ oculos et accensum studium in vestrum ministerium deiciendum. Sed agite, agite fratres mei charissimi, optima ac sanctissima pectora, armis omnibus Christianæ militiæ induti, ac isto præsertim iniquissima temporis momento fidelissime instructi, stemus: ac ad negotium Domini fortibus animis, invicto pectore redeamus. Non odium eorum, qui se in hac causa odiosos vere præbent, superet. Nos enim ii sumus, qui etiam pro inimicis orare, nedum ferre et amplecti possumus. Non populi stulta iudicia, et stultus levisque popularis iudicii metus nos hic labefaciat, qui lux sumus mundi, et subiicere nos infimo cuique etiam ingratisimo possumus. Non dolor et contemptus nostri nos frangat, qui nihil dolere didicimus, quam cum Satan arte sua negotium Domini perturbat. Oro charissimi fratres, oro vos per viscera Christi revocare in animum omnem pietatem, omnem sapientiam velitis, dum vos vestra virtute ac constantia labantem istic Ecclesiam, ad manus vestras revocatam iterum dante Deo, sic ut constitit, tueamini, ac regatis. O quod munus est, quam solida et vera laus vestra, si in solum Christum respicientes vestri in hac causa toti obliviscamini. Deus Iesus Christus confirmet mentem vestram ad opus ipsius sanctum.

Basileæ, XII. Iulii (1536).

SIMON GRYNÆUS vester.

XXXVIII. *Calvinus Grynaeo.*

Calvinus, ut sinistram de se opinionem profligaret, totam controversiam cum Carolo exponit.

Quando mirificas et prope incredibiles esse Satanæ artes, quibus opere nostro assidue nos impetit, satis iam experti sumus, minime nos fefellit malitiosa eius vafricies, qua nos per Carolum suum ¹⁾ nuper adortus est. Nam et eiusmodi certamina omnia multo ante opinione conceperamus, et ad ea sustinenda eramus animo parati. Itaque cum Arrianæ primum hæreseos, paulo post etiam Sabellianæ insimulari nos audivimus, nihil nos istorum valde perturbavit, cum et ad tales calumnias aures nostræ pridem obduruissent, et spes certa esset, in fumum mox exituras. Purgationem duntaxat, quæ præ manibus erat, obiecimus, qua piis omnibus ac integris viris satisfieri abunde posset. Conscriptus enim aliquanto ante catechismus a nobis fuerat, Gallice etiam editus, ubi sub una Dei essentia nos Patrem, Filium, et Spiritum complecti testabamur: alterum tamen ab altero sic distinguebamus, ne quis sinistrae suspicioni locus relinqueretur. Christum nempe docebamus verum et naturalem esse Dei Filium, qui unam cum Patre divinitatem ab æterno possedisset, carnem nostram suscepisset secundum tempus redemptioni nostræ destinatum. Cum pergeret rabiosa illa bestia, conventum Ministrorum totius Bernensis ditionis dari nobis petimus, apud quem innocentiam nostram

¹⁾ Petrus Caroli, tum temporis professor scripturæ sacræ Lausannensis.

defenderemus. Fratres Gallicæ linguæ prius Lausannam coacti sunt ¹⁾, quo etiam duo e Senatu Bernensi, ac Ministri duo missi sunt. Quæcunque conflare mendacia potuerant, bonus ille vir in unum fasciculum collegit. Venerat enim ad accusationem instructus, quomodo Iurisconsulti præcipiunt, nempe cum sacco paratus. Verum totum illum saccum nostra refutatione sic exhausimus, ut ne minima quidem suspicio in hominum animis resideret. Demum ventum est ad nostræ confessionis recitationem, in qua decem circiter errores ipse quidem animadvertit, alii pene omnes, nihil non pium esse ac sanctum iudicarunt. Ita nos Synodi sententia fuimus absoluti, ille indignus iudicatus, qui ministerio fungeretur. Tali exitu nihilo demissiorem factum arguit perpetua eius impudentia: saccum illum futilem, magis quam antea refertum attulit: ubi a nobis excussa omnia fuerunt, quibus suspicionem aliquam de tempore præterito iniicere conabatur, producta est confessionis nostræ forma, quæ omnibus aliis criminibus absoluta, uno duntaxat capite rea fiebat, quod Christus illic affirmatur ille esse Iehovah, qui a se ipso semper habuit ut esset, quam criminationem discutere promptum fuit. Nam si distinctio spectatur, quæ est inter Patrem et Verbum, hunc ab illo dicemus. Si autem Verbi essentia consideratur, quatenus unus est cum Patre Deus, quidquid dici de Deo potest, in illum competit. Iam quid nomen Iehovah significat? quid illud quod Mosi dictum fuit? Ego sum qui sum. Huius dicti Christum auctorem facit Paulus. Apud te quidem, piosque omnes in approbanda eius sententiæ veritate non laboramus, sed noluimus tacitam præteriri perditum huius calumniatoris malignitatem, ne quidquam ad vos, secus quam res haberet, rumor deferret. Nihil enim dici apertius poterat, quam habet nostra confessio: Christum sermonem esse illum æternum ex Patre ante sæcula genitum. Verum nisi duplicem Deum comminisci libet, de eius essentia disseramus oportet non aliter, ac de unius Dei essentia. Atque hac ratione, cui non satisfaceret, nemo præter ipsum repertus est. Fratres ut dignum erat fidis Christi Ministris, nos iniquissime in suspicionem aliquam adductos sibi videri pronuntiarunt. In nostra autem confessione nihil improbandum se animadvertisse. Dum hæc geruntur, afferuntur a Myconio literæ publice ad conventum scriptæ. Aliæ rursum a Capitone ad Farellum generatim missæ, quibus utrisque intellectum est horrendum longe lateque rumorem de nostro controversia pervagatum esse. Denique ad excitandam erga nos gentium omnium invidiam maliciose a certis hominibus fabrefactum. Quod autem homo nihili futilissima sua vanitate tantum proficere potuerit, ut tot Ecclesiis sinistram de nobis opinionem iniiceret: id vero est, quod nos vehementer perturbavit. Si quidem non levis momenti rem esse ducebamus, si caput Religionis nostræ præcipuum, inter nos controverti adversarii nostri audirent, vel Ecclesiæ quidquam de nobis tale suspicarentur. Eo autem gravius hoc nuntio perculsi sumus, quod id ne timere quidem nunquam in mentem venerit. Speramus tamen fore, ut Domini bonitate inanes

¹⁾ Mense Aprili 1537.

illi fumi discutiantur propediem, ac in capita impiorum recidat, quidquid mali Christo, eiusque Ecclesiae intenterunt. Cœpit enim iam affulgere Domini manus, atque virtus eius sese exercere, ad extinguenda hæc qualiacunque exordia. Sycophanta ille Senatusconsulto in exilium actus est, nos plane absoluti, non a crimine modo, sed ab omni quoque suspicione. Quanquam vero se Athanasii titulo nunc venditet, qui pœnas luat defensæ fidei: nullum tamen fore periculum videtur, ut orbis pro Athanasio sacrilegum, scortatorem, homicidam sanctorum multorum sanguine madentem agnoscat. Qualem dum istum prædicamus, nihil dicimus, quam quod solidis testimoniis revincere sumus parati. Hæc tibi paucis significata volui ne iniquis improborum delationibus absentes sic inauditi (ut fit) opprimamur. Exemplar etiam Confessionis ad te mitto, quod cum tuis collegis communices. Magnopere enim referre duco, ut ne obscuris rumoribus exagitentur. Simul te obtestor, ut tum Confessionem ipsam, tum has literas ad illos ipsos etiam fratres mittendas cures, aut potius ipse propriis tuis literis eorum animos placare intendas. Vale. Dominus Iesus vos omnes Spiritu suo impleat, quo unanimes nominis sui gloriam propagare possitis.

Bernæ (1537).

Tuus CALVINUS.

XXXIX. *Grynæus Calvino.*

Grynæus Calvini confessione omnino placatus dolet, tam gravem in ecclesia contentionem esse exortam.

Quæ istæ et quorum de vobis tam graves querelæ sint, ego nescio. Nullæ dum enim ad nos venerunt. Capito non semel ad me scribit ultro vestra omnia excusans, et valde Ecclesiae vestræ bene cupiens. Rumor principio gravis sane fuit, qui me ipsum quoque turbavit cum in isto præsertim argumento contendere vos audirem de appellationibus personarum divinarum, et a consuetis vocibus instituere recedere. Ea enim res videbatur amplius præ se ferre. Verum ubi ad nos confessio tua venit, neminem video qui non satis sibi factum putarit. Mihi privatim valde doluit, ab iis gravem in Ecclesia contentionem esse exortam, quorum uterque mea esset amicitia et consuetudine usus diu. Etiam hoc mirabar, quomodo tantum incendium et tamdiu durans, et vixdum extinctum me latuisset. Hoc queri apud Farelum memini, ac aliud præterea nihil: nisi quod dicerem vereri me, ne rudis et nova Ecclesia nisi caute administraretur sub initia, capere magnum incommodum possit ab istis contentionibus. Sic igitur ex me habe, neminem scire me qui de vobis queratur. Carolum talem esse qualem pingis, haud ægre adducor ut credam, postquam ad illos a vobis secessionem facit. Quid enim instituit aliud, quam quod tu melius prædicis. Promiserat mihi et Mauro hic amplissime. Valeat igitur, valeat. Nostrum est in ista magna rerum difficultate modis omnibus iungi et divelli minime pati. Pestis est Ecclesiae nostræ una hæc pernitiōsa maxime,

quod suspicionibus valde inter nos laboramus, et fratres de fratribus raro candide vereque sentimus, cum lenire oporteat, et in partem optimam omnia trahere: et non ante sinistre de fratre suspicari, quam ipsa res eventusque coegisset. Ah quam malum est eos quos nosse Christum credimus, in suspicionem pravam rapere subito. Ita quod suspectum erit nobis, inutile reddimus. Literas Capitonis quibus optime de vobis sentire se testatur, misissem ad te nisi putem ipsum de re eadem ad te sæpius scripsisse. Quod Farellus de comite consulit exequar apud Capitonem. Tu valebis interea. Amemus in Domino vere nos, et illi toto corde serviamus. Saluta fratres omnes diligenter, Farellum, Viretum cumprimis diligentissime. Dominus Iesus nos in suam sanctam voluntatem servet. Amen.

GRYNÆUS tuus.

XL. Grynaeus Calvino s.

Memoratur Lutheri de confessione Helvetica responsum.

Rogavit me N. ut se apud te excusarem diligenter. Hoc promittit de se mihi, et ego tibi de ipso, se de tuo scripto sentire ut par est. Nos enim te fratrem in Domino libenter ac cum gaudio agnoscimus, ac pro eximio ornamento Ecclesiæ nostræ amplectimur. Itaque noli hic tibi molestus esse amplius, mi frater. De Lutheri super nostra confessione responso benignissimo credo te audivisse. Spes est optima nobis eum recte processurum. Vos istic in Domino Christo optime valete. Saluta venerandum mihi Farellum. XII. Februarii (1537).

SIMON GRYNÆUS tuus.

XLI. Grynaeus Calvino.

Calvino Geneva expulso, Grynaeus effecit, ut Basilia ei refugium præberet.

Gratia et Pax. Ternis tuis literis hæc tandem, vir et frater amantissime et colendissime, respondeo. Pium est votum fratrum Genevatium: et nostri sine officii prætermissione deesse voto illorum non possunt. Antonium audio et Morandum ea doctrina et synceritate eximios haberi, qui haudquaquam dissimulaturi sint, si quid peccetur gravius a Genevensibus. Equidem nec scio quid agatur Genevæ, nec quales homines isti duo sint. Verum dum non a vobis modo, sed a nostris etiam hominibus didici, qui rerum modo Genevæ potiuntur, eos a Christi studio alienos esse, tum in vos etiam et disciplinam Ecclesiæ admisisse tam atrocia, valde vereor et merito, ut istis rempublicam gubernantibus religio et disciplina morum misere habeat. Qui enim non est cum Domino, et cum eo non colligit, is est contra eum, et dispergit. Iam succes-

soribus vestris rem tolerabilem esse depulsos Pastores gregis Dominici a grege suo tanta perversitate, tanta importunitate, documento est eos aut non intelligere quid sit esse Pastorem gregis Dominici, aut valde aversum a Christo animum habere. Sed quam tolerabile illis sit, vos a grege Domini depulsos eo furore, nescio. Dominus donet illis sensum suum. Ut vero nunc res habent, non est quod de legatione illa nobis polliceri valeamus. Dominus pia illa pectora servet, et viam illis ostendat, et expediat, qua Ecclesia illa vere restituatur. Hæc ad primas literas. Alteræ nihil quam innocentis et vere pii adolescentis confessoris Domini commendationem in se continebant: cui ego adfui pro mea virili et adero. Ipse puto scribet: sic enim statuit. Iam ad tertias. Post multam deliberationem huc devenimus, Capito, Sturmio et ego. Nisi luculente spes obiiciatur fructus alicuius maioris, quam ex otio tuo et simul eo negotio quod te Christo hic suscipere cupimus, adhuc censem te debere ad nos venire. Parvus quidem hic numerus est eorum quibus servies: inter hos autem sunt in quibus multum fructus speres, tum etiam qui tua cura valde indigeant. Denique qualecunque ministerium hic sit, confidimus id non inutile fore ad illud, ut opus Domini quod Sabaudicis Ecclesiis per tuum ministerium exhibitum est, in suam fidem et auctoritatem restituatur. Id enim nunquam sine offensa Dei cogitandum, te ministerio vel tantillo tempore subducere, dum ullus ministerii locus offeretur. Fac esse quod tua unius gravissima culpa res Christi sic labefactæ sint Genevæ: non tamen pia erit eiusmodi poenitentia, qua in ista Ministrorum, qui idonei sunt, inopia, tu istis dotibus non tibi, sed Ecclesiæ ornatus, oblatum ministerium repudies. Quod ad Farellum attinet, nos libere ei scriberemus, nobis videri, nec Ecclesiis nec tibi utile te eo loci nunc agere, ubi acceptum vulnus quotidie novis incisionibus exacerbetur. Nec audimus res melius habere Genevæ, aut officium facere vestros successores. Iam metuo illis a iudicio gravissimo illo Domini, ne si scientes et prudentes desint officio, in tanta Ecclesiæ afflictione, tradantur in reprobum sensum, ut in dies designent atrociora. Hæc vero si evenient, quod Dominus avertat, quid aliud erit te in eo loco constituere, quam te iugi dedere carnificinæ? Merito enim ista cuiusque sancti et pro domo Domini zelantis animum lancinent, et excrucient summopere. Sed sit ut mitius agat cum illis Dominus, adhuc tamen nescio unde sperarem, non plus adhuc malorum extitutum illic, quam tu etiamnum ferendo sis. Adderemus et nolle nos detinere te nostro tam parvo ministeriolo, sed tantum te cupere spatium tibi dari, te plenius ab illo labore recreandi. Hæc sane apposita nunc quidem haberemus, donec aliud tempus aliud consilium afferet. Vale in Domino charissime Calvine semper (1538).

GRYNÆUS tuus.

XLII. *Grynaeus Calvino s.*

Epistola commendaticia.

Iuvenis hic apud nos dies aliquot fuit. Discere istic religionem cupit. Est Nycæus; videtur esse simplex. Si qua istic est tibi hunc iuvandi spes, oro ut des operam. Diu non scripsi ad te : oro ut ne interpreteris secus, quam est factum. Nam in istis occupationibus vestris nolebam cuiquam esse molestus. Spero amicitiam nostram esse in Christo Iesu indissolubilem. Vale, pridie Augusti. M. D. XL. Saluta omnes amicos. Subito hæc scripsi.

SIMON GRYNÆUS tuus.



C. INDEX AUCTORUM SIMONIS GRYNÆI OPERA ET STUDIO EDITORUM
SECUNDUM ORDINEM TEMPORIS QUO VULGATI SUNT.

1550.

- I. *D. Joannis Chrysostomi archiepiscopi Constantinopolitani opera, quae hactenus versa sunt omnia. Graecorum codicum collatione multis in locis per utriusque linguae peritos emendata. Basileae in officina Frobeniana mense Augusto anno MDXXX.*

In hac editione ab Erasmo instituta Grynæus homilias 50—44 prioris ad Corinthios epistolæ, quæ cap. 12—15 complectuntur, latine vertit. Munus vertendi ei Erasmus utpote « iuveni adprime docto » (Erasm. epist. 26, 16) detulerat. In præfatione eum virum utriusque linguae peritissimum appellat. Insunt homiliæ Tom. I. p. 502—582. Cf. etiam Erasm. epist. 25, 58; 26, 60; Grynæi epist. II.

1551.

- II. *Vitae Graecorum Romanorumque illustrium auctore Plutarcho. Basileae apud Jo. Bebel. anno MDXXXI.*

Grynæus latine vertit vitam Agesilai fol. 270—277 totamque editionem recognovit. De quo labore sic Io. Sinapius in titulo :

Nec plus egessit fimi aut graviore labore
Augeæ stabulis Amphitryoniades
Quam tulit hinc mendas et tot manca resarsit
Omne ferens punctum qualibet arte Simon.

Editionem Bebelius a. 1555 repetiit.

- III. *Aristotelis summi semper viri, in quem unum vim suam universam contulisse videtur natura rerum, opera quaecunque impressa hactenus exstiterunt, omnia, graece summa cum vigilantia excusa. Per Desiderium Erasmum Roterodamum. Basileae apud Jo. Bebelium MDXXXI.*

De Grynæi meritis sic Erasmus in præfatione ad Ioh. Morum data (apud Friburgum Brisgoiæ tertio Cal. Martias anno domini MDXXXI) : « Imo non prorsus idem nobis prodiit Aristoteles, sed multo quam antea fuit emaculatio ; idque potissimum studio, vigilantia fideque Simonis Grynæi iuvenis in omni genere literarum haudquaquam vulgariter eruditi. » Idem monuit Buhle præf. in Aristot. p. XXI. XXVIII. Cf. Grynæi ep. XV. Editio a. 1559 per Io. Bebelium et Mich. Isengrin. repetita est.

IV. *En magnis impendiis summisque laboribus damus, amice lector, T. Livii Patavini Latinae historiae principis quicquid hactenus fuit editum, sed aliquanto quam antea tum magnificentius, tum emaculatus. Accesserunt autem quintae decadis libri quinque nunquam antehac editi, quos adiecimus ex vetustissimo codice, cuius copiam nobis fecit celebre monasterium Lorsense. Basileae in officina Frobeniana mense Martio MDXXXI.*

De hac editione iuvat verba Erasmi ex praefatione apponere. « Visum est (sic ad Carolum Montium scripsit) tuo nomini dicare Titum Livium, Latinae historiae principem, iam quidem frequenter excusum, sed nunquam antehac vel magnificentius vel emendatius, et si hoc parum est, quinque libris modo repertis auctum, quos bono quidem genio in bibliotheca monasterii Laurisseni, aut ut vulgo, Lorsensis repperit Simon Grynæus, vir ut in omni genere literarum citra supercilium eruditus, ita provehendis liberalibus studiis natus. » De codice ipso, qui nunc Vindobonæ asservatur (cf. Lambec. III. 493), Erasmus hæc refert: « Archetypum erat admirandæ vetustatis, prisco more perpetua literarum serie ita depictum, ut difficillimum fuerit verbum a verbo dirimere, nisi docto, attento et in hoc ipsum exercitato. Unde non parum negotii fuit in parando exemplari, quod typographicis operis tradebatur utendum. Nec minore cura quam fide advigilatum est, ne usquam in describendo ab archetypo recederetur. » Nonnulla etiam ipse Grynæus ep. XI. de hac editione adnotavit.

1532.

V. ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΕΥΤΡΑΠΕΛΩΤΑΤΟΥ ΚΩΜΩΙΔΙΑΙ ΕΝΔΕΚΑ. *Aristophanis facetissimi comoediae undecim. Basileae apud And. Cratandrum et Joan. Bebelium anno MDXXXII, μηνὸς γαμηλιῶνος.*

Prima editio hæc est fabulas omnes complexa. In Aldina (1498) enim et Iuntina (1515. 1525) desiderabantur Thesmophoriazusæ et Lysistrata. Nihilominus Cratander, « si quid desiderabitur, inquit, in exemplar mutilum et corruptum culpam transferas oportet. Nos studiis tuis faventes, illas tibi ut invenimus minus expolitas, quam nullas tradere maluimus. » Grynæus iuveni studioso in praefatione, qui fructus ex comoediae priscæ scriptoribus recte lectis ad studium redundant, exposuit.

VI. *Novus orbis regionum et insularum veteribus incognitarum una cum tabula cosmographica et aliquot aliis consimilis argumenti libellis. Basileae apud Jo. Hervagium mense Martio anno MDXXXII.*

Opus tum temporis valde aestimatum. Praefatio inscripta est « excellenti viro Georgio Collimitio Danstettero artis medicæ et disciplinarum mathematicarum omnium facile principi » Vindobonæ.

VII. *Joannis Oecolampadii doctoris undecunque doctissimi in librum Job exegemata, eruditum sane opus ac omnibus divinae scripturae studiosis utile. Basileae excuderunt Henricus Petrus mense Martio anno MDXXXII.*

Præfationem Martino Frechto inscriptam dedi ep. XXXII, quo loco quid ad edendum ansam dederit, paucis adnotavi.

VIII. *Omnia divini Platonis opera translatione Marsilii Ficini emendatione et ad Graecum codicem collatione Simonis Grynaei nunc recens summa diligentia repurgata. Basileae in officina Frobeniana anno MDXXXII (per Hieronymum Frobenium et Nicolaum Episcopium mense Augusto).*

Ficini versio Latina primum Florentiae a. 1479 — 1483 vulgata est, priusquam Plato Graece ederetur. Quod cum a. 1513 ab Aldo Manutio factum esset, Grynaeus hac nova editione usus versionem Latinam recognovit. Qua de re ita scripsit: «Itaque mihi libuit eodem quo egregius ille vir consilio, translatione ipsius cum exemplari Graeco diligenter collata et pro virili nostra mendis omnibus iam recens per nos repurgata Platonis philosophiam quam latissime, quantum id per me quidem fieri potest, propagare.» Satis constat, Ficini versionem codicis loco esse, quippe qui ante exemplaria Graece edita eam instituerit, ideoque multi doluere, quod Grynaeus eam, ut credunt, perdiderit. Sed ille quantum equidem vidi, non in peius mutavit, quare si usum criticum non spectas, hanc versionem recte prætuleris. Editio a. 1559 repetita est.

IX. *Lexicon Graeco-Latinum supra omneis omnium hactenus accessiones multis milibus vocabulorum annis iam aliquot ex assidua scriptorum omnium lectione congestis auctum. Authore Petro Gillio Albiense. Basileae ex officina Valentini Curionis mense Septembri anno MDXXXII.*

Præfationem Grynaeus inscripit: Reverendissimo in Christo patri et domino Georgio Armignaco, episcopo Rutinensi, clarissimo heroi domino et patrono suo.

X. *De mundo Aristotelis lib. I. Philonis lib. I. Gulielmo Budaeo interprete, Cleomedis lib. II. Georgio Valla interprete. Ad haec scholion doctissimum in Aristotelis libellum de mundo Simone Grynaeo authore. Basileae apud Joan. Valderum mense Martio MDXXXIII.*

XI. ΕΥΚΛΕΙΔΟΥ ΣΤΟΙΧΕΙΩΝ ΒΙΒΛ. ΙΕ. ΕΚ ΤΩΝ ΘΕΩΝΟΣ ΣΥΝΟΤΣΙΩΝ. ΕΙΣ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΕΞΗΓΗΜΑΤΩΝ ΠΡΟΚΑΟΥ ΒΙΒΛ Δ. *Adiecta praefatiuncula in qua de disciplinis mathematicis nonnihil. Basileae apud Joan. Hervagium anno MDXXXIII mense Septembri.*

Præfatio inscripta est «doctissimo viro Cutberto Tonstallo pontifici» episcopo Londinensi.

1533

1534.

XII. *Platonis omnia opera cum commentariis Procli in Timaeum et Politica, thesauro veteris philosophiae maximo. Adiectus etiam est in Platonis omnia sententiarum et verborum memorabilium index. Basileae apud Joan. Valderum mense Martio anno MDXXXIV.*

Præfatio Ioanni Moro, Thomæ filio, inscripta continet brevem narrationem profectionis Anglicæ, codicum Procli Oxonio ablatorum mentionem laudesque philosophiæ.

XIII. *Sitne rationis aliqua in bestiis vis, tum utra animantium plus huius habeant, terrestriane an aquatica, Plutarchi libellus perquam elegans Simone Grynaeo interprete. Basileae apud Io. Bebelium MDXXXIV.*

Editio dicata est Thomæ Cronmaro, archiepiscopo Cantuariensi, de quo viro ecclesiæ Anglicæ primario cf. novissimum opus: *Miscellaneous writings and letters of Thomas Cranmer edited for the Parker Society by the Rev. John Edmund Cox. Cambridge 1846.*

1536.

XIV. *Julii Pollucis onomasticon hoc est instructissimum rerum ac synonymorum dictionary decem libris constans summo studio et cura emendatum inque studiosorum gratiam tribus nunc demum locupletissimis indicibus auctum. Cum præfatione Simonis Grynaei ad ludimagistros. Ex inclyta Germaniae Basilea per Balthasarem Lasium et Thomam Platterum mense Martio MDXXXVI.*

Prima editio Onomastici huius erat Aldina 1502, secunda Juntina 1532; hæc est tertia. Cf. Schœll histoire de la littérature Rom. V. 10.

XV. *OPTANON OPTANΩN H H THΣ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ ΧΕΙΡ. Basileae apud Ioannem Bebelium anno MDXXXVI.*

Grynæus in præfatione ad philologum scripsit. Continentur in hoc libro Aristotelis κατηγορίαι, περί ἑρμηνείας, ἀναλυτικῶν προτέρων καὶ ὑστέρων, τοπικῶν, σοφιστικῶν ἐλέγχων.

1537.

XVI. *Veterinariae medicinae libri duo a Ioanne Ruellio Suessionensi olim quidem latinitate donati, nunc vero iidem sua hoc est Graeca lingua primum in lucem aediti. Basileae apud Ioan. Valderum MDXXXVII.*

Præfatio inscripta est «præstanti virtute iuveni Ioanni Zobelo.»

XVII. *Oratio Hugonis Latimeri ad ecclesiasticorum conventum ante consultationem de regni statu per evangelium reformando. Basileae MDXXXVII.*

Præfatus est Simon Grynæus. Cf. *Sermons by Hugh Latimer sometime Bishop of Worcester Martyr 1533. Edited for the Parker Society by the Rev. George Elwes Corrie. Cambridge 1844.*

1558.

XVIII. *Claudii Ptolemaei magnae constructionis id est perfectae coelestium motuum pertractationis lib. XIII. Theonis Alexandrini in eosdem commentariorum lib. XI. Basileae apud Ioannem Valderum an. MDXXXVIII.*

Editio præclarissima, cuius etiam meminit F. A. Wolfius (Vorlesungen über die Alterthums-wissenschaft von Gürtler p. 405), dedicata est «Henrico eius nominis VIII, Anglorum regi invictissimo.» De Theone cf. Ep. XXII.

XIX. *Aristotelis Stagiritae philosophorum omnium facile principis opera quae quidem extant omnia latinitate vel iam olim, vel nunc recens a viris doctissimis donata et graecum ad exemplar diligentissime recognita. Accesserunt in singulos libros optimis ex autoribus argumenta, commentarii vice studiosis futura. Item Io. Ludovici Vivis Valentini de libris Aristotelicis censura, nunc recens et nata et edita. Ad haec vita Aristotelis deque genere philosophiae ac scriptis eiusdem commentatio doctissima per Philippum Melanchthonem. Basileae MDXXXVIII.*

Editionem Grynæus in publicum introduxit brevique præfatione instruxit.

1559.

XX. *Omnia divini Platonis opera translatione Marsilii Ficini, emendatione et ad Graecum codicem collatione Simonis Grynaei, nunc recens summa diligentia repurgata, quibus subiunctus est index uberrimus. Basileae in officina Frobeniana anno MDXXXIX.*

Eadem plane editio, quæ 1552 vulgata est, nisi quod adiectus est index.

XXI. *Lexicon Graecum. Ioan. Walder. Basileae MDXXXIX.*

De hoc lexico cf. Ep. XXII.

XXII. ΓΕΩΠΟΝΙΚΑ. *De re rustica selectorum lib. XX. Graeci Constantino quidem Caesari nuncupati ac iam non libris sed thesauris annumerandi Io. Alexandri Brassicani opera in lucem editi. Una cum rerum quae in hisce tractantur diligentissimo indice. Item Aristotelis de plantis libri duo Graeci nuper ab interitu liberati ac studiosorum usui hac primum editione restituti.*

Basileae ἀναλώμασι 'Ροβέρτου Χειμερινοῦ.

Præfatus est Grynæus ad Ianum Suollam, Iurisconsultum nobilissimum.

XXIII. *Aristotelis de virtutibus libellus plane aureus nuper quidem Graece inventus, iam vero primum per Simonem Grynaeum latinitate donatus, cum exactiore quadam virtutum divisione per eundem Simonem Grynaeum. Basileae in officina Roberti Winter mense Martio a. MDXXXIX.*

Editio repetita est Argentorati typis Iosiae Rihelii hæredum 1621.

1540.

XXIV. *Procli Diadochi Hypotyposis astronomicarum positionum. Apud Ioannem Vualder. Basileae An. MDXL.*

Præfatus est Simon Grynæus ad Ioannem Reifsteinum, adolescentem ingenuum.

Ad extremum editurus erat *Theophrasti opera*, sed morte impeditus est. Editionem Camerarius absolvit et Oporinus vulgavit anno MDXLI.

Post Grynæi mortem duo adhuc libri ab eo exarati editi sunt, alter a Sebastiano Lepusculo, alter ab Isaco Kellero. Eorum tituli infra scripti.

Aristotelis philosophorum principis octavus topicorum liber absolutam quandam disputandi methodum continens doctissimisque annotationibus D. Simonis Grynaei illustratus. Una cum epistola nuncupatoria Sebastiani Lepusculi Basiliensis, in qua aeditionis huius ratio redditur simulque academiae Basiliensis institutum obiter indicatur. Basileae MDXLV per Hieronymum Curionem.

In librum octavum topicorum Aristotelis Simonis Grynaei commentaria doctissima. Adiectae sunt ad libri calcem selectiores aliquot eiusdem S. Grynaei epistolae. Basileae ex officina Ioannis Oporini anno salutis humanae MDLVI mense Octobri.



